5.

MONITUM.

Sacræ Cleri Congregationes, quæ Ecclesiæ disciplinæ vita sunt et tutamen, nullatenus tam utilem scopum assequi possunt, nisi totius Cleri interventu et actione foveantur. Quapropter, instantes Sancti Caroli institutionibus (*Synod. Diœces. II, Decr. XXIV*), declaramus, interventum ad sacras Cleri Congregationes MUNUS ESSE ET OBLIGATIONEM OMNIUM CUJUSCUMQUE GRADUS SACERDOTUM qui non sint legitime impediti, et eorum potissime qui in animarum curam electi sunt. Hinc præsenti Decreto decernimus ut deinceps quicumque ad ecclesiastica beneficia concurrere voluerint, una cum reliquis de praxi documentis, proferant etiam testimonium a Directore propriæ Congregationis exaratum, quo constet eos FREQUENTI ET ACTIVA PRÆSENTIA sacris Cleri Congregationibus interfuisse.

Datum Mediolani, die 3 Octobris 1867.

† ALOYSIUS, *Archiepiscopus.*

RESPONSA AD QUÆSTIONES

PROPOSITAS

PRO URBANIS CONGREGATIONIBUS

ANNO DOMINI 1873

EX THEOLOGIA MORALI.

I.

Quæstio. — *Titius testamentum confecit, in quo Marcum hæredem constituit, quem ad lectum suum accersit, eique tradit chirographum pro nonnullis dispositionibus ex fiducia implendis Annuit Marcus. Jam modo, Titio vita functo, Marcus in chirographo, præter cætera legata absolute facienda, alterum invenit Aquilino tradendum, qui mentem testatoris rescivit, acceptationemque Marci. Hic tamen, cum in ipso chirographo desiderium potius, quam expressam voluntatem pro Aquilino hisce verbis legeret:* Deprecor autem Marcum, *etc., renuit solvere legatum hujusmodi. Id ne jure, quin justitiam commutativam lædat?*

Responsum. — Asserendum quippe. Etenim Marcus annuit quidem Titio, se ejusdem dispositiones ex fiducia habitas esse perfecturum, non vero præter testatoris mentem in chirographo expressam; jam modo cum in hujusmodi documento duplex intentionis ratio habeatur, nempe una strictæ obligationis, altera vero tantum commendationis, inferendum est, testatorem voluisse legatum, quod Aquilino inscribitur, relinqui arbitrio hæredis. Ex quo patet, et Aquilinum nullum jus aquisisse, et Marcum nullius jus violare, si renuit solvere, quod non tenetur.

(1) Gury de Contr. in sp. Cap. II, art. II, p. III. De Lugo. de Testam. disput. XXIV, sect. IX, § I.

II.

Quæstio. — *Cuidam societati traditum fuit legatum, quod tamen in illius manus non venit, et id consulto, ne casu, qui prævidebatur, amitteretur. Statutum tamen erat in testamento, quod si societas hujusmodi jus suum ad eam pecuniam habendam ex auctoritatis civilis decreto, quod eamdem dissolveret, non aquireret, ad Martinum transiret, cui ex fructibus percipiendis facultas data erat alicujus pensionis sociis nonnullis tradendæ. Quod si denique id assequi ullo modo non liceret, omnia absolute essent in potestate et proprietate ejusdem societatis præsidenti, quin ullam redderet rationem. Testatore defuncto, Civilis Potestas hanc societatem dissolvit. Huic facto innixus præsidens, nemini ullum verbum faciens de hujusmodi legato, omnia sibi addixit, de iisque pro libito disposuit. Dici ne potest, quod societas non aquisierit jus ad legatum? Ad quid tenetur hic præsidens? Viget ne in sociis aliquod strictum jus ad pensionem?*

Responsum. — Quoad I.^{m}, negative, et ratio est quia pro eodem tempore, quo testator mortem obierit, societas hujusmodi ex testamento statim vocatur ad jus; et hæres societatem protinus monere tenetur de inscripto in ejus favorem legato; quo ab ea acceptato, nil aliud requiritur, ut hujusmodi jus ab ipsamet societate aquisitum dici possit. Si autem hæc societas antequam hoc jus, nulla sibi injuria illata, potuerit adipisci, legalis dissolutionis decreto fuerit perculsa, tunc certo asserendum eam omni jure esse destitutam cum id ex conditione in testamento posita omnino pateat. Quoad II.^{m} vel societas satis temporis habuit ad vindicandum

jus suum, vel non; si primum, præsidens tenetur hoc ipsum societatis jus totis viribus tueri; id patet per se; si alterum, is certa quippe obligatione vincitur hujusmodi jus Martino relinquendi, ne rem sibi aquirat, quæ ad tertium pertinet. Cum e contra sibi omnia inscio Martino addixerit, huic deferenda res est, utrum velit, nec ne, jure suo potiri. Res enim et jura clamant ad dominum. Quod III.m, cum directe socii ad pensionem haud vocarentur, sed tantum ad eam statuendam data fuerit Martino facultas, qua ipse uti, nec ne potuerit, nequit dici socios strictum ad pensionem jus aquisisse; attamen cum in arbitrio Martini eamdem ex testamento determinare, et statuere esset relictum, socii eam saltem aquisierunt spem, quæ quidem pretio æstimabilis est, quæque si per aliquem fraude, vel vi læditur, integranda quippe ab eodem est. (1)

(1) Gury de Contr. P. II, sect. I, cap. II art. II. p. V, § IV. — Cod. civili § 895, et. 896.

III.

Quæstio. — *Quirinus executor testamentarius a Titio nominatur, officiumque hujusmodi acceptat una cum aliis in codicillo a testatore designatis. At cum priori loco et tempore sit electus, omnia exequitur, quin alios interroget; cumque ad id munus obeundum multum temporis et laboris requiratur, officii sui ratione stipendium repetit. Quid ad utrumque ais?*

Responsum. — Quoad I.m, ratio, cui Quirinus innititur, ne alios interroget per se infirma valde est; imo Quirino ipsi adversatur, quia si Titius voluisset, ut unus Quirinus testamenti dispositiones exequeretur, alios quippe in codicillo non designasset. Ex hoc inferendum videtur aliquam vel de de solertia, vel de honestate Quirini in mentem testatoris suspicionem irrepsisse, qui proinde rei suæ consuluit per aliorum executorum designationem. Hic tamen notandum, quod si testator ita executores instituisset, ut quilibet eorum in solidum rem agere possit, tunc singulis sine aliis procedere fas erit, si de re certa verbum est; in dubiis enim omnes una simul convenire debent, atque majori parti standum est. Quoad II.m, licet munus hujusmodi voluntarium sit, et pietatis vel amicitiæ causa suscipiatur, tamen æquum, imo justum videtur aliquod stipendium esse tribuendum ob rationes, quæ hic afferuntur, quæque lucrum cessans, vel damnum emergens spectare videntur. Id tamen a civili auctoritate decernendum est, ne executor et pars, et judex in eadem causa sit (1).

(1) De Lugo, de Testam. disput. XXIV sect. XVI. Gury, de Contrac. P. II. cap. II, art. II. Cod. civil. § 910, et 911.

IV.

Quæstio. — *Philippus ab amico suo, qui et ductor equorum, et equos ad iter agendum commodat, equum ad tres dies petit, quin pretium ullum ad id constituat. Jam modo, in itinere, casu prorsus fortuito, equus cecidit, graviterque læsus est. Amicus repetit totius damni compensationem; Philippus e contra id tantum tribuit quod communiter in hujusmodi commodati contractibus quisque solvit. Quæritur:* 1.° *quænam præcipuæ, tum commodantis, tum commodatarii, obligationes;* 2.° *cuinam in hac quæstione favendum.*

Responsum. — Quoad I.m, præcipuæ commodantis obligationes hæ sunt: 1.ª rem commodatam non repetere vel ante tempus statutum, vel antequam ea commodatarius uti valeat, ni ipsemet commodans ex casu prosus improviso eadem statim indigeat; hoc enim æquum est, et rationabile; alterum vero iniquum, contraque rationem, et pacta; 2.ª solvere expensas, quæ urgenti necessitate ad rem conservandam factæ fuerint a commodatario qui non potuisset hac super re commodantem facile monere; 3.ª rei commodatæ nota sibi vitia aperire, quæ in damnosum commodatarii periculum verterentur; secus enim esset causa injusti damni. Præcipuæ vero commodatarii obligationes sunt: 1.ª restituere rem numero, et qualitate eamdem; 2.ª eadem uti ea tantum ratione, ad quam concessa res fuit, ni subire

velit pericula; 3.ª sarcire damna ex mora in restituendo culpabili oborta; 4.ª solvere expensas, quæ per se necessariæ sunt ad usum rei commodatæ. Quoad II.m Philippo favendum est; is enim videtur verum potius contractum locationis rei, quam commodati, qui contractus per se est gratuitus, cum amico vecturario iniisse; quod si pretium non statuit, id repetendum quidem ab amicitia est, quæ ab amico non exigit nisi id quod æquum justumque est, quodque proinde non requiritur ut antea statuatur. Res tamen secus se haberet, si Philippus alia saltem vice equum non locatum, sed vere commodatum ab amico habuisset; tunc enim ex antecedenti facto interpretari deberemus factum posterius (1).

(1) Scavini de Contract. Lib. II, Tract. VI, diss. IV. cap. II. Voit de præcept. Dec. de Contr. in specie, princip. III. Gury de Contr. in specie cap. III. Cod. Civ. Tit. XVI, cap. ., § 108 et seqq.

V.

Quæstio. — *Carolus ab America veniens in navim transtulit plurimas sachari sarcinas pro se, et alias quoque ab amico accepit in deposito Mediolanum transvehendas. Iter faciens ad insulam quamdam appulit, in qua negotiator quidam postulavit, ut sibi nonnullæ sachari sarcinæ venderentur. Cum autem Caroli sacharum in imo navis fundo esset, neque sine maximo labore extrahi inde posset, Carolus aliquas suo tamen nomine sarcinas vendidit, quæ amici sui erant, animo sibi firmiter statuens amico tradere ex suis totidem ejusdem ponderis, et valoris. At postea magna oritur tempestas, omnisque merx naufragio perit. Tenetur ne Carolus ad restitutionem, cum sit tantum rei depositarius?*

Responsum. — Negative, et ratio est, quia Carolus cum nullam, ut patet, pro hujusmodi deposito remunerationem cum amico statuerit, ex quo contractus est prorsus gratuitus; neque ad hoc onus sese sponte obtulerit, sed tantum, ut videtur, comiter liberaliterque id susceperit, rationabiliter in commutationem sarcinarum præsumere potuit consensum amici tum ex nullo eidem damno per se obventuro, tum ex ejusque grati animi sensu ac rependendam Carolo vicem; tum denique ex ipsius rei natura, ejusdem nempe ponderis, et valoris; hinc valide, et licite in suum usum amici sarcinas convertit, suoque nomine vendidit, sibique tandem pretium aquisivit; atque sarcinæ, jam antea Caroli, et postea, per commutationem rationabili præsumptione factam, in amici dominium translatæ, domino, nempe amico periere (1).

(1) De Lugo, de Contrac. Disput. XXXIII sect 1, 5. Voit, de VII Decal. Præcept. art. V. de Contr. § II. Princip. IV. 911. Scavini Lib. II, Tract. VI, dissert. IV, cap. II de Contract. Gury, de Contr. Cap. IV.

VI.

Quæstio. — *Aquilinus cum se Parisios conferat pro negotiis suis, a Marco accepit, tum mandatum mercem pretiosiorem emendi, tum pecuniam ad id sibi solutam. Jam modo, suis in eu urbe rebus expeditis, mercem pro Marco emit apud amicum suum, qui ex amicitia ait se minori valde pretio eidem rem vendere. Aquilinus animo concepit clanculo sibi retinere eam summæ partem, quam putat se solvere debuisse, si alterum venditorem adiisset. At in itinere eum aggrediuntur latrones, qui relinquentes ea quæ sunt Aquilini, omnia quæ sunt Marci furantur. Restitit sane iis Aquilinus, sed frustra; proindeque vulneribus confossus Mediolanum reversus, gravique morbo affectus, damna plurima patitur. Quæritur:* 1.° *Poterat ne Aquilinus eam pecuniæ partem, de qua sermo est, sibi addicere?* 2.° *Tenetur ne ad restituenda ea, quæ ex mandato emit, et a latronibus sunt ablata?* 3.° *Tenetur ne Marcus aliquid rependere pro damnis, quæ Aquilinus passus est?*

Responsum.—Quoad Im, affirmative, si res ita se habet, quia venditor in meram Aquilini, non vero Marci gratiam imminuit pretium; ex quo fit, ut Aquilinus, summam, de qua sermo hic est, sibi addicendo, nullum Marci jus lædat.

Dixi, si ita se res habet, quia, ut ait D. Ligorius, aliquando mercatores potius simulant donare, quam donent; ita ut si dominus ipse adiret pro eodem pretio rem obtineret. Hinc Aquilinus si bona fide asserit, se favorem ex amicitia esse consecutum, non esset inquietandus. Quoad II.m negative, et ratio est, quia et Aquilino haud tribuenda est culpæ rerum amissio, quas furati sunt latrones; et ex notissimo principio res perit domino, qui Marcus est. Quoad III.m, affirmative; nam inter mandantis obligationes ea adnumeratur, qua is indemnem præstare teneatur mandatarium ratione damnorum, quæ, præcisa culpabili imprudentia, mandati occasione passus est. Jam modo Aquilinus id egit, quod in tali occasione ipsemet Marcus fecisset; nec videtur imprudentiæ damnandus si latronibus restitit; nam cum rem præsertim alienam defenderet, præsumendum haud est eum fuisse nimis audacem, nimisque cæcum in defensione; sed e contra satis ei probabilitatis, spelque servandarum rerum affulsisse (1).

(1) Gury, de Contract. cap. V § I, et in Op. cas. consc. de mandato num. I. D. Sig. Lib. III, Tract. V. de VII Decal. Præcept. cap III Dub. VIII art. I de Contract. Scavini Lib. II. Tract. VI, Disc. IV, cap. II. De Lugo, disp. XXVI de Empt. et vend. sect. IX. Cod. Civ. § 1754.

VII.

Quæstio. — *Nonnulli, qui societatem quamdam legitime repræsentant, mandatum ad quoddam negotium peragendum cuidam ex sociis dederant. Inter hæc autem ipsamet societas juxta sua statuta alios designavit, qui eam in omnibus repræsentarent, ejusque res gererent, quique in primis a specialiter delegato rationem de re ab eo peracta petierunt, et pro societatis ipsius bono mandatum eidem collatum infecto adhuc negotio revocare maluerunt. Renuit ille; at instant repræsentantes. Cuinam ratio ex justitia favet?*

Responsum. — Ratio ex justitia iis, qui societatem repræsentant, procul dubio favet; cum enim inter modos, quibus mandatum exstinguitur, principem locum teneat ipsius mandati revocatio, quæ ad libitum mandantis fieri potest; cumque in casu, de quo agimus, mandans nonnisi est quam ipsamet societas, hæc, quæ antea per suos repræsentantes socio dedit mandatum ad id negotium peragendum, hæc eadem per alios suos repræsentantes ab eodem socio potest tum rationem petere de re peracta, quod est minus, tum et ipsum mandatum, adhuc negotio infecto, revocare, quod majus est (1).

(1) Scavini, de Contract. Lib. II Tract. VI, diss. IV, cap. II. art. VII. Gury de Contract. Part. II, sect. I, cap. V. Cod. civ. Lib. II, tit. XI, cap. III. § 1745-47; cap. IV, § 175758.

VIII.

Quæstio. — *Marcellus, cum iter longius capessere debeat, Satyro tradit in deposito quamdam pictam tabulam valde pretiosam dicens, se eam esse repetiturum, cum post mensem redierit. Hisce verbis innixus Satyrus, ipse quoque ad idem tempus ab urbe discessit. Porro Marcellus sub itineris initio in advenam quemdam occurrit, qui ejus tabulam emendi maximo desiderio flagrat. Ille Satyrum adit, quo absente, magni lucri occasionem amittit. Neque id satis; nam hæc eadem tabula, cum a Satyro restituitur, nescio quo casu, maxima in parte, læsa, corruptaque invenitur. Marcellus urget, ut Satyrus resarciat tum lucrum amissum, tum damnum, quod tabula passa est. Jure ne?*

Responsum. — Quoad lucrum, missa de ejusdem quantitate quæstione, quæ a circumstantiis solvenda erit, Marcellus jure potitur illud repetendi. Esto quidem illum dixisse, se tabulam non esse repetiturum, nisi post mensem; attamen cum de ejusdem contractus natura sit, eum ad nutum deponentis semper esse revocabilem, inferendum est, et tempus, de quo hic sermo est, non ita fuisse prolatum, ut Marcellus propitiam vendendi tabulam occasionem, quam per eum mensem nactus fuisset, negligere voluisset; et

Satyrum obligationem sumsisse præstandi ea, quæ de contractus natura essent. Neminem latet hanc sententiam nimis duram videri, cum sermo sit de contractu gratuito, cumque bona, ut patet, fide Satyrus ab urbe discesserit; ex quo rationabilis æquitas suadet parcendum esse Satyro, eumque haud urgendum ad compensandum lucrum a Marcello amissum nisi intercedat judicis sententia. Quod autem ad damnum attinet, videndum est, utrum id ortum habuerit a negligentia, quæ sit theologice culpabilis, vel tantum a casu haud præviso, ac proinde fortuito. Si I.m Satyrus tenetur ad illud sarciendum, cum id sit in depositarii obligationibus; si vero II.m, non tenetur, et id patet per sc; res enim, abstractione facta a causa morali, vel imminuitur, vel perit domino suo (1).

(1) De Lugo, de Contract. disput. XXXIII sect. 1. Scavini, de Contract. Lib. II, Tract. VI, dissert. IV, cap. II. Roncaglia, de Contract. Tract. XIV, quæst. IX, cap. I, Cod. Civ. § 1860.

IX.

Quæstio. — *Carolus deposuit apud Celsum amicum suum summam pecuniæ auro constitutam, sigilloque obsignatam. Jam modo, Celsus, disrupto sigillo, pecunia usus est, eamque sibi in magnum lucrum vertit. Restitutionis autem tempore depositarius, nec Carolo aliquid de iis quæ lucratus est, tradit; et summam, quam ipse auream accepit, vult in chartam pecuniariam restituere vi legis innixus, quæ eumdem valorem huic, quam auro tribuit, omnesque ad eam accipiendam urget, sibi addicendo omne lucrum per hujusmodi commutationem habitum. Potuit ne ex stricta justitia id agere Celsus?*

Responsum. — Multiplex hic quæstio sese offert, quæ sigillum, usum pecuniæ, lucrum inde habitum, et denique restitutionem respicit. Quoad sigillum Celsus male se gessit illud frangendo; manifesta enim ex facto erat domini mens ad illius integritatem servandam. Id tamen esse per se grave peccatum, contra nonnullos qui defendunt, non auderem asserere; nam cum hujusmodi depositum sit contractus gratuitus, hic videtur inniti cuidam in servanda promissione fidelitati, quæ sub gravi perraro obligat. Dixi per se; cum vero hic pecuniæ hujusmodi usus quoque addatur, res difficilior fit; nam si Celsus, quocumque tempore, quo depositum requiratur, certior esse potest, se Carolo ejus pecuniam soluturum, et tunc rationabiliter totoque animo invitus dominus haud videtur; si vero Celsus se solvere non posse prævidet, et tunc gravi culpa afficitur, quia graviter deponentis voluntatem lædit, obitque periculum grave damnum eidem inferendi. Quoad lucrum, id omne quodquod est, Celso tribuitur, quia non rei, sed industriæ fructus est, et dominus ex apposito sigillo satis declaravit se in lucrum non intendere. Denique ad restitutionem quod attinet, Celsus ad summam auro restituendam prorsus tenetur, nec eidem hujusmodi lege uti fas est, quæ onerosos contractus potius quam gratuitos respicit, præsertim depositum, cujus natura obligat ad restituendam eamdem specie, immo et in individuo, rem, quæ tradita fuit; et id potiori ratione, in casu de quo agitur; quia pecunia sigillo obsignata erat; ex quo rectius loqueretur qui diceret potius restituendum integrum involucrum, quam traditam pecuniam (1).

(1) Scavini, de Contract. Lib II, Tract. VI, diss. IV, cap. II. Roncaglia de Contract. Trac. XIV, quæst. VIII, cap. II. De Lugo, de Contract. disput. XXXIII, sect. 1, 3. Cod. civil. §§ 1846-47 48-52.

X.

Quæstio. — *Anselmus precibus Martini annuit ut in muro divisorio fenestram aperiat, sed id tantum precarii nomine. Martinus statim hac utitur gratia, quæ ob etiam expensas ab eo factas, magnum lucrum ei affert. Jam modo finge, vel Anselmum graviter pati concessionem factam, et continuo eam revocare; vel eumdem paucis diebus post a precarii contractu domum suam vendidisse, emptoremque nolle precarium confirmare; vel*

denique Anselmum mortem subito obiisse, ejusque filium, qui hæres est, nullo modo ferre concessionem patris. Quid ad hæc respondes, cum Martinus damna sibi obvenientia objiciat?

Responsum. — Quoad I.m verum quidem est ea, quæ precario permittuntur ad usum, tempusque non concedi determinatum, sed liberum esse concedenti rem, vel jus precario traditum ad ejus libitum repetere, vel revocare; attamen valida satis ea ratio videtur, qua, si res precario concessa statim sine necessitate revocetur, id haberi posset veluti dolus, cujus exceptio recte opponeretur. Precarium enim concedentis liberalitatem, et beneficium implicat, quod nullatenus habetur, si pro eodem fere tempore, quo res, aut jus precario datum absque necessitate sustollitur; imo idipsum precarium in casu, de quo agitur, suam exuisset naturam, cum non commodum, sed damnum per expensas inutiliter factas peperisset. Quoad II.m jure suo precarium revocando emptor utitur, qui domum emendo, nulla servitute a venditore imposita, dominus ejus absolute liber fit. Quoad III.m, hujusmodi filius ipse quoque utitur jure suo, quando precarium revocat, quia personalis obligatio, qua pater, ne dolo, ut vidimus, afficeretur, æque tenebatur, patre cessante, et ipsa cessat, cum filius nec doli reus ipsemet videatur, nec patris sui obligationes mere personales subire teneatur (1).

(1) Roncaglia de Contract. Tract. XIV, quæst. VIII cap. 1. De Lugo, disput. XXXIII, de Contract. sect. II. D. Lig. Lib. III, Tract. V de VII Decal. Præcept. cap. III, Dub. V de Contract.

XI.

Quæstio. — *Fridericus, qui negotiator est, mutuum pecuniæ petit a Crispino, qui et dives satis est, et auctarium paciscitur septem pro centum præter hypothecam. Quæritur:* 1.° *utrum mutui contractus ex natura sua sit gratuitus;* 2.° *utrum Fridericus hunc contractum inire possit, et Crispinus salva justitia hujusmodi auctarium retinere, rationi innixus, quia lex civilis id non prohibet.*

Responsum. — Ad I affirmative. Id tum ex utroque jure divino, veteri nempe et novo; tum ex jure ecclesiastico, ubi inter cæteros Clemens V in generali Concilio Viennensi contrariam sententiam veluti hæreticam habere videtur; tum ex communi Theologorum consensu firmatur. Vera autem et intima ratio est, quia in omnibus contractibus, in quibus res, quæ accipitur, reddenda eadem est, nil supra id, quod ipsamet res est, exigi potest, quia plus exigeretur, quam datum fuerit, quod injustitiam manifeste sapit. Jam modo verum quidem est, quod in mutuo pecunia, quæ traditur, eadem quippe in individuo, ne idem mutuum inutile, imo onerosum evadat, non redditur, sed tantum in specie; attamen, cum id ne in minimo quidem ejusdem pecuniæ valorem mutet, cumque pro tempore, quo mutuum perdurat, mutuatarii interveniat promissio, quæ numeratæ pecuniæ æquivalet, iniquum per se, injustumque pro nudo mutuatæ pecuniæ titulo usuram exigere satis superque patet. Ad II.m si sermo est de Friderico affirmandum probabiliter puto, quia hic ad hujusmodi mutuum pro suis negotiis coactus videtur, atque hinc causam satis validam habere, ut ab alterius peccati cooperatione excusetur, quæ passiva tantum et materialis est. Si autem sermo est de Crispino, negative, quia data hypotheca, titulus de sortis periculo, quo fas esset auctarium augere, prorsus sustollitur; quod si legi civili, ut ait, innititur, quæ id non prohibet, rejiciendum quippe argumentum est, quia lex taxam mutui, quantum ex se est, non decernendo, rem omnem reliquit uniuscujusque conscentiæ, quæ in casu regulam a naturali jure, et ab ecclesia petere debet; idque ex eo quoque patet, quod lex ipsa civilis, quando taxa non sit jure privato determinata, quinque pro centum decreverit, et sex, quando ageretur de commercio; ex quo satis videtur tum spiritus legis, tum legislatoris mens (1).

(1) Tapparelli, saggio teoret. sul D. N. dissert. IV, C. IV. Scavini, de Contract. Lib. II. Tract. VI, cap. II. De Lugo, de Mutuo et usura, disp. XXV, sect. XI, § I. Roncaglia, Tract. XIV de Contract. quæst. III, cap. V. Frassinetti, del VII Prec. del Decal. Tratt. X. Cod. civ. § 1831.

XII.

Quæstio. — *Modestus a suo Confessario sciscitatur, utrum retinere possit auctarium a lege pro commercio statutum, quod ipse conscientia sua reluctante, malaque fide accepit a quodam negotiatore, qui in strictiori fortuna versabatur. Confessarius, habita ratione de numerosa Modesti familia, ei consilium dedit se posse auctarium repetere, sed tamen ad restituenteneri, quod jam acceperat, quia possessio, mala fide incœpta, injusta evadit. Quid ais de utroque hujus confessarii consilio, rationumque momentis ab eo adductis?*

Responsum. — Ad I.m prudens, justumque consilium *ex se est*, non vero ex ratione a confessario adducta, quæ inter titulos exigendi taxam non recensetur, quæque in casu a strictiori negotiatoris fortuna elideretur. Dixi *ex se*, quia civilis lex et validus, et satis firmus titulus est ad exigendum auctarium, quod est veluti præmium ab ea propositum ad fovendum commercium, cui per æqua media consulere tenetur. Ad II.m consilium injustum quippe est, quia inducit in Modesto restituendi obligationem, quam ipse non habet; licet enim mala fide acceperit auctarium, peccavit quidem graviter putans ex erronea conscientia jus alterius lædere, non vero justitiam reapse violavit; error enim mentis non facit, ut jus lædatur, si revera non læditur (1).

(1) Gury de Contract. cap. VI de mutuo, art. V. Tappar. saggio di D. N. dissert. IV c. IV Scavini, de Contract. Lib. II, Tract. VI, dis. IV, cap. II, et in adnot. sub litt. z.

XIII.

Quæstio. — *Aquilinus mutuum dedit Carolo quinque millia aureos. Antequam restitutionis tempus contingeret, lata lex est de obbligatione omnibus facta chartam pecuniariam accipiendi pro argento, vel auro. Jam modo Carolus legis favore conlinuo utitur, statimque commutato in chartam hujusmodi auro, sibique lucro addicto, summam nominalem, ut ajunt, reddit. Aquilinus renuit, repetitque, ut saltem in suo damno a Carolo resarcialur. Potest ne Carolus, tempore quo vult, acceptum mutuum restituere; et tenetur ne ad talia damna resarcienda?*

Responsum. — Quoad I.m negative, quia cum tempus restitutionis statutum jam antea sit, in pactumque ejusdem contractus inductum, Carolus injustus fieret, si ante idem tempus sortem restituere vellet. Quoad II.m item negative, et ratio est, quia cum in hujusmodi contractu nulla adjecta fuerit conditio, quæ vel excluderet quamcumque pecuniæ surrugationem ex lege quoque indictam; cumque debitor in eodem contractu ineundo facultati, quæ a lege in posterum eidem concederetur, haud renuntiaverit, Carolus per se justitiam commutativam lædere non videtur. Reddit enim quod accepit; nam cum pecuniæ valorem civilis præsertim auctoritas moderetur, hæc, quæ aurum tanti æstimat, eamdem chartæ æstimationem tribuit. Qui autem velit se eidem legis dispositioni subducere, id expresse in contractu significare, et animadvertere debet; ex quo consequitur, quod si contrahentes teneantur obsequi legi chartam pro auro jubenti ad publicum bonum accipere, lex ipsa, cujus est justitiam tueri, expressa pacta defendet (1).

(1) Voit de Præc. decal. de mutuo, et usur. Princ. I. Scavini, de Contract. Lib. II, Tract. VI, diss. IV, cap. II, 473. Ex act. S. Sed. vol. VII respons. Epis. Comens. dat. a S. apost. Pœnitent.

XIV.

Quæstio. — *Theodolus mutuum suo colono præstat, auctarium justa æquitatem statuens; insuper addit, ut cum se præbeat ad officium fidejussoris subeundum in aliquo contractu pro colono, is tantum eidem rependat;*

vult imo, ut colonus debitis suis erga eum satisfaciat, et cum villam ipse petit, ut omnibus fungatur officiis quæ domesticorum sunt. Hæc omnia potest ne Theodolus repetere, quin injustus dici possit?

Responsum. — Theodolus ad I.m id statuere potest; integra enim æquitate ut patet, eo magis justitia servatur. Ad II.m haud usura culpandus videtur, quia communiter docent Theologi aliquid ad fidejussionem præstandam accipi posse, quando id periculum offerat; quod cum sermo sit de colono, prorsus abesse nequit; ex quo fit, ut remuneratio, si æqua, et justa sit dicenda, periculo respondere debeat. Ad III.m, nempe ad debita solvenda. injustus non est habendus, quia non exigit nisi id, quod sibi jam debetur. Ad IV.m denique peccaret contra justitiam; officia enim, quæ colono imponit, pretio æstimanda sunt, quo injuste colonum fraudaret (1).

(1) De Lugo, de Contr. disput. XXV, sect. V Roncaglia Tract. XIV de Contr. quæst. III, cap. III. Scavini de Contr. ut sup. 485. La Croix de usur. Lib. III Part. II.

XV.

Quæstio. — *Sophronius assecurationis a grandine cum aliqua societate ad id instituta init contractum de frumento suo. Jam modo contigit, ut aliquo morbo frumentum afficeretur, ita ut vel nihil, vel fere nihil colligendum esset. Attamen prius quam secandi tempus advenerit grando magna omnia destruxit. Quid juris in Sophronio erga societatem, atque hinc quæritur, utrum societas possit se a sarciendis damnis hujusmodi subducere huic innixa rationi, quia proprie frumentum, non a grandine, sed a morbo absumptum jam fuerat.*

Responsum. — In Sophronio erga societatem id juris viget, quod damno respondet frumento a grandine illato; hinc societas eam illi compensationem rependere tenetur, quam damna non morbi, sed grandinis causa requirunt; et ratio est, quia objectum finale assecurationis id fuit, ut frumentum a grandine quidem, non vero a quocumque morbo cautius esset. (1)

(1) Bouvier deContr. cap. V. art. I, Theologi perpend. hujusm. contr. tum definit. tum condit.

XVI.

Quæstio. — *Alexander, qui, licet pauper, tamen spem rationabilem habens se lucrum magnum esse aquisiturum, ad officinam merce satis refertam aperiendam, a Marco, qui natura timidus est et meticulosus, mutuum pecuniæ petit. Marcus vel negat mutuum, vel requirit taxam, quæ ratione a sortis periculo petita, eam excedit quæ communiter requiritur. Quid de Marco, nempe utrum ex natura sua ad timorem prona, et ex supposito periculo id repetere possit.*

Responsum. — Quoad I.m nempe, quod Marcus taxam exigat, quæ communem excedit ratione ducta a natura sua ad timorem prona, et meticulosa licet prima fronte hujusmodi titulus videatur inanis, et pro nihilo habendus, tamen vi sua non caret; et ratio est, quia etsi hoc periculum mutuantis animo apprehensum ex mutuo non oriatur, nec proinde idem mutuum sit hujusce periculi causa; tamen negari nequit, quod ratio exigendi aliquod propter periculum sit, quia mutuans hic et nunc mutuare non potest, quin subeat illam molestiam, et timorem; parumque videtur referre, quod res ipsa, vel mutuantis indoles, ejusque dispositio, talem molestiam afferat. Etenim pro iis, quæ passurus sum animo ad aliquod agendum, pretium exigere, injustum esse non auderem asserere. Quoad II.m, cum periculum vel maximum, atque extraordinarium esse possit, contra justitiam non est exigere pro illo subeundo taxam, quæ communem excedit; communis enim commune periculum respicit; sacra autem Congregatio Cardinalium censuit sub Innocentio X, qui responsum approbavit, habendam esse rationem qualitatis periculi, ejusdemque probabilitatis, servandamque inter periculum, et id, quod accipitur, proportionem (1).

(1) De Lugo disput. XXV, sect. VI, 81, 85 de contr. Gury de Contr. cap. VI, art. III § III. Bouvier de contr. in spec. cap. VIII.

XVII.

Quæstio. — *Fridericus unam census actionem illius institutionis acquirit, quæ vulgo dicitur:* Banca Nazionale, *quatuor millia argenteos solvendo, cum sub ejus fundationis initio illius valor erat tantum mille. Quæritur* 1.° *utrum venditor usurarius dici possit;* 2.° *quid ais de iis qui falsum rumorem alicujus motus politici in vulgum consulto injiciunt, ut vel crescant, vel pretio minuantur hujusmodi actiones? Possunt ne uti hoc falso rumore? quid vero de iis qui eodem, nescientes, usi sunt?*

Responsum. — Ad 1.m negative; et ratio est, quia hujusmodi census actiones ubique venduntur, et emuntur tamquam merces ordinariæ, earumque pretium vel augetur, vel minuitur secundum circumstantias, et prout homines majus vel minus communiter judicant istis in censibus existere periculum, quod procul dubio, publica re non satis firma, nec ordinis innixa principiis adesse potest, uti in præsens videre est. Ad II.m, hujusmodi falsi rumoris auctores, et injuste se habent erga societatem, damnaque per se tenerentur sarcire iis, qui ea subeunt, quippe qui per suam fraudem sunt vera, efficax, injustaque damnorum causa; ex quo patet eos nullo modo posse hocce falso rumore uti, cum re aliena illicite, et injuste ditiores fierent. Cæteri autem, qui bona prorsus fide usi sunt, inquietandi non videntur, cum ii hujusmodi actiones eo, quo communiter vendebantur pretio, emerunt; secus enim commercium in dubiis semper versaretur, et valde impediretur, si quisque emptor de publica circa rerum pretia opinione incertus, ac proinde restitutioni obnoxius frequenter esse deberet (1).

(1) Bowier de contr. cap. IX, art. 1; de Just. et Jur. Part. II, quæst. II. Voit. de Præc. decal. § IV ad quæsit. II. Gury de contrac. cap. V. de Censu.

XVIII.

Quæstio. — *Eugenius, qui medicus est, cum sciat amicum suum Stephanum, quamvis valetudine bene habentem, tamen secreto morbo laborare, citiusque mortem obiturum, init cum eo contractum vitalitium, ei statuens ob eam rationem censum satis amplum. Finge jam, vel Stephanum reapse vita cessisse, atque hinc Eugenium ingenti summa potitum esse; vel e contra Stephanum manifeste ita convaluisse, ut spes ei fulgeat ad tardam usque senectutem perveniendi, quo in casu Eugenius vult aut rescindere contractum, quippe qui statuerit censum ultra æquitatem, aut saltem censum ipsum minuere. Quid stricti juris in Eugenio esse potest?*

Responsum. — Vitalitii contractus ex iis est, qui aleatorii dicuntur; ii autem requirunt, ut liciti, justique sint, ut æqualitas, bonaque fides utrimque serventur. Jam modo, cum ad id assequendum ratio habenda sit variarum circumstantiarum, ætatis nempe, valetudinis officiique personæ in cujus caput census constituitur, Eugenius non poterat, salva justitia, hujusmodi contractum cum Stephano inire; ex sua enim parte neque bona fides, neque æqualitas aderat, cum eventum, qui alteri fortuitus, et dubius proinde habebatur, ipsi per scientiam uti effectus ex causa, et certus erat. Licet autem censum satis amplum statuerit, hic profecto non respondebat ingenti summæ, qua firmissima animi certitudine potiturus erat. Hisce positis consequitur eumdem Eugenium, si Stephanus mortem revera obiit, universam ejus substantiam haud posse adipisci, ac sibi retinere; nec jus ad rescindendum contractum habere si Stephanus convaluerit, cum bona quidem fides huic faveat; ille autem suæ fraudis, quæ ut communiter ajunt, auctori suo numquam prodesse debet, damna sibi imputet (1).

(1) Bouvier de contr. cap. IX, ad quæsit. VI. Scavini de Contr. Lib. II, Tract. VI, diss. IV, cap. II, Cod. civ. § 1798.

RESPONSA AD QUÆSTIONES

PROPOSITAS PRO URBANIS CONGREGATIONIBUS

ANNO DOMINI 1873

Ex Sacra Liturgia

QUÆSTIO I.

Cum non omnes Ecclesiæ possint de facili consecrari, sed soleant tantum benedici; quæritur:

1.° *Quid sibi velit verbum* Benedicere, *et quonam in sensu hoc verbum sit accipiendum quando agatur de Liturgia.*

2.° *Quid et quotuplex sit Benedictio.*

3.° *Quid requiratur ad rectam Ecclesiæ Benedictionem.*

Ad Primum = QUID SIBI VELIT VERBUM Benedicere, ET QUONAM IN SENSU HOC VERBUM SIT ACCIPIENDUM QUANDO AGITUR DE LITURGIA?

Bifariæ huic quæstioni duplex debetur responsum. Sit ergo.

1.° QUID SIBI VELIT VERBUM BENEDICERE?

Si verbum *Benedicere* consideretur tamquam complexio duarum dictionum, *Bene* et *dicere*, unicam habet significationem, et est loqui scienter, perite, ornate, apposite, etc., juxta illud Ciceronis: *Philosophia mater est omnium bene dictorum, beneque factorum.* Si vero sumatur, uti generice sumi debet, tamquam una dictio et una vox, septem habet significationes juxta interpretationem quam patitur diversus sermonis contextus. Sumi enim potest:

1.° PRO BENEFACERE, idest agere juxta rationem et juxta legem, tam circa Deum et homines, quam circa se. Exemplum habemus in Proverbiis (11, 25): *Anima quæ benedicit impinguabitur, et qui inebriat ipse quoque inebriabitur.*

2.° PRO MALEDICERE, per antiphrasim: De falsis accusatoribus innocentissimi Naboth pro vinea Achabo denegata, legitur in lib. III. Regum (21, 13): *Benedixit Naboth Deum et Regem; quamobrem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt.* Satan, et Iobi uxor eodem stylo: ille ad Deum de Iobo: *Nisi in faciem benedixerit tibi* = *Videbis quod in faciem benedicat tibi*: (Iob. I. 2. 5. 11.) Hæc, ad sanctum conjugem: *Benedic Deo, et mórere;* (Iob. 2. 9.) idest, maledicet tibi; *nondum ne Deo maledicis* qui jam es moriens?

3.° PRO GRATUM ANIMUM ALICUI OSTENDERE: Job, ad propriam tuendam innocentiam, dixit de paupere cujus occurrerat necessitatibus: *Si non benedixerunt mihi latera ejus*, et de *velleribus ovium mearum calefactus est.*

4.° PRO DONA ET MUNERA ELARGIRI: Axa filia Caleb, nupta Othonieli, dotis augmentum a patre impetrando, dixit: *Da mihi benedictionem: terram australem dedisti mihi, junge et irriguam* (Ios. 15. 19.) Iacob ad fratrem Esau, cum greges proprios ei offerret, ita rogabat: *Suscipe benedictionem quam attuli tibi* (Gen. 33. 11.) Abigail commestibilia offerens irascenti David, dixit: *Suscipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua* (I. Reg. 25.) Naaman, sanatus et munera Eliseo offerens, inquit *Obsecro ut accipias benedictionem a servo tuo* (IV Reg. 5. 15.) Ita dici solet, Deum nos benedicere, cum nobis sua dona concedit. Deus enim Abrahamo promittendo divitias multas, dixit: *Faciam te in gentem magnam, et benedicam tibi.*

5.° PRO LAUDARE ET COMMENDARE: Cum enim profitemur Deum benedicere, intendimus ejus laudes recitare, ejus prærogativas extollere. *Benedicam*

Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo (Ps. 33). *Benedicite omnia opera Domini Domino: Laudate et superexaltate eum in sæcula* (Daniel. 3. 37). *Genitori, Genitoque; salus, honor, virtus quoque; sit et benedictio* (Hym. *Pange lingua*).

6.° Pro bona et prospera alicui precari et fausta ominari: Hinc senescens Isaac dixit Esau filio suo: *Sume arma; et cum venatu aliquid apprehenderis, fac mihi pulmentum ut comedam, et benedicat tibi anima mea.*

7.° Pro consecrare et sanctificare: idest facere ut aliquid a sua naturali et profana conditione evehatur ad statum veneratione dignissimum utpote sacrum, ut congruentius sit aptum, vel ad sacramenta ministranda, vel ad alia peragenda quæ spectant vel ad Dei cultum, vel ad animarum salutem, juxta illud Pauli (Timot. c. 4). *Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei et orationem*, idest, uti explicant Patres, per ecclesiasticam benedictionem.

II.° Quonam in sensu accipiendum est verbum *Benedicere* quando agitur de Liturgia.

Quando agitur de Liturgia, verbum *Benedicere* sumi nequit nisi in duobus sensibus postremo loco superius nominatis, scilicet, vel pro *fausta ominari*, vel pro *aliquid consecrare*, prout Benedictio est, vel invocativa, vel constitutiva, uti inferius dicendum est, ubi sermo habeatur de varia Benedictionum specialitate.

Ad Secundum. = Quid et quotuplex sit Benedictio.

I.° Quid sit Benedictio?

Benedictio definiri solet: « Actio religiosa, per quam ritibus et precibus » ab Ecclesia ordinatis, sive permissis, a Ministro ad id deputato, res, aut per- » sonæ præsentes sanctificantur ut divino cultui inserviant, vel a quocumque » fideli rebus aut personis, etiam absentibus, cœlestis opis invocatur ut sa- » luti, tam corporis, quam animæ proficiant. » Omnia hujus definitionis verba sunt breviter explananda, ut cujuscumque Benedictionis essentia et virtus clarissime eluceat. Dicitur ergo:

1.° Actio; quia Benedictio est motus, vel corporis, vel animi, vel utriusque simul, ut sunt omnes humani actus qui ab intellectu et voluntate procedunt.

2.° Religiosa; quia Benedictio, quatenus ordinatur, vel ad aliquid sanctificandum, vel ad divinam opem implorandam, semper est actus spectans ad Religionis virtutem.

3.° Per quam precibus et ritibus ab Ecclesia ordinatis; quia, sicuti nemini licet, nec materiam, nec formam immutare Sacramentorum, quæ Christus Dominus pro animarum sanctificatione, ex opere operato, peragenda immediate instituit, ita nemini fas est preces et ritus deserere aut immutare quibus, ex facultate a divino ejus Sponso sibi tributa, Ecclesia subjici voluit Sacramentalia, quæ, non ad gratiam immediate conferendam, sed ad gratiam facilius promerendam, sapientissime et saluberrime præceptive ordinavit. Et inter Sacramentalia, neminem latet non ultimum tenere locum ecclesiasticas Benedictiones, quibus res et personæ, vel sanctificantur ut divino cultui decentius inserviant, vel divinum flagitatur auxilium ut rebus et personis securius undequaque proficiant.

Præcipui vero ritus ab Ecclesia ordinati pro Benedictionibus recte conferendis, reducipos sunt adhæc tria, scilicet 1.° Signum Crucis, 2.° Aspersionem Aquæ benedictæ, 3.° Exorcismos. = Aspersio et Exorcismi non semper sunt de essentia Benedictionis; nam unius, vel alterius, vel utrorumque, necessitas urget tantum in Benedictionibus in quibus per Rubricas ipsa ordinantur. Sed signum crucis in quacumque Benedictione ita est de essentia ut, eo omisso, irrita et nulla tenenda sit Benedictio, quia, ut ait s. Leo Papa, (serm. 8 de Passione) *Crux est fons omnium Benedictionum, et causa omnium gratiarum.*

4.° Precibus ab Ecclesia ordinatis sive permissis; quia multæ preces sunt ab Ecclesia sub præcepto ordinatæ et statutæ, ut videre est in Rituali, Missali, etc. Aliæ reperiuntur, non immediate ordinatæ, sed tantum tacito

consensu permissæ, quatenus adinventæ a privatis viris undequaque spectabilibus, et in privatis libris impressæ; super quas vero caute semper est procedendum, ne in piis verbis lateat superstitio, a qua, Ecclesia, numquam fallibilis veritatis magistra, semper summopere abhorret.

5.° A Ministro ad id deputato; Sicut in cœlis, juxta varios Angelorum ordines, varia sunt munera singulorum, atque Angeli inferiorum ordinum minima nuntiant, Archangeli vero suprema, ita proportionaliter in Ecclesia militanti, simplices sacerdotes, velut Angeli inferioris ordinis, destinantur ad Benedictiones simplices et communes, Episcopis vero, velut superioris ordinis ministris, reservantur Benedictiones sacratiores et solemniores.

6.° Res aut personæ præsentes; quia, ex sensu orationum et precum, et ex ritibus in Benedictionibus explendis, semper supponitur præsentia rei, vel personæ; advertendo tamen quod, hæc præsentia semper est intelligenda morali modo, idest intra viginti circiter passus, ita ut ad res aut personas benedicendas pervenire possit lustralis aquæ aspersio si agatur de rebus inanimatis; vel habeant cum immediate præsentibus moralem continuationem, si agatur de personis.

7.° Sanctificantur ut divino cultui congruenter inserviant; Benedictiones enim ad duplicem finem sunt institutæ 1.° Ad majorem divini cultus decorem; 2.° ad spiritualem fidelium utilitatem. Ideo, ut divino cultui decentius inserviant, sanctificantur templa, sacra vasa, sacræ suppellectiles, et alia ecclesiastica ornamenta: personæ vero et res ipsis spectantes benedicuntur ut, ab omni noxa semper expertes, et majori veneratione habeantur, et semper gratius Deo adhaereant.

8.° Vel a quocumque fideli; quia, præter Benedictiones ecclesiasticas, dantur etiam Benedictiones laicæ, idest Benedictiones quæ licite dari possunt etiam a personis nullo clericali caractère insignitis, dummodo aliis præmineant, vel gradu ut Pater, Mater, aliique Majores; vel sanctitate, aut religiositate, quales sunt servi Dei, etsi laici, et in statu laicali viventes. Hi enim omnes ministri esse possunt Benedictionum, ut demonstrant acta Sanctorum, in quibus frequentia habentur exempla Benedictionum ab ipsis dispensatarum, prout legitur de s. Ilarione, de s. Simeone stylita, de s. Birgitta, de s. Hildegarde, et aliis laicis viris et fœminis, quos recensent Gretserus et Quarti, in quorum operibus notatur etiam Abbatissas esse legitimas Benedictionis ministras in suas Moniales, advertendo quod, in ministro benedicente curanda semper est attentio, intentio, conscientiæ puritas, integra precum recitatio, et rituum omnium ab Ecclesia ordinatorum fidelis observatio ad rite et recte ministerium istud explendum.

9.° Personis etrebus etiam absentibus; quia divinæ opis invocatio per Benedictionem personis aut rebus, dari potest etiam per litteras, per nuntios, tum ore, tum simplici cordis intentione, prout sæpissime fit, præsertim a Papa, nec non ab aliis ecclesiasticis Superioribus, quando ab absentibus flagitantur de speciali eorum benedictione.

10.° Ut saluti, tum corporis, tum animæ, proficiant; quia, uti superius notatum est, Benedictionum finis duplex semper est, scilicet ad omne malum, tum ab anima, tum a corpore, arcendum, et omne verum bonum, præsertim animæ, procurandum.

II.° Quotuplex sit Benedictio.

Ad omnium Benedictionum species recte determinandas notare oportet quod, Benedictiones considerari possunt sub quinque respectibus, scilicet 1.° Ex parte ministri; 2.° Ex parte subjecti; 3.° Ex parte finis; 4.° Ex parte formæ; 5.° Ex parte ritus.

1.° Ex parte Ministri.

Benedictio esse potest vel Laicalis, vel Ecclesiastica.

1.° *Laicalis* illa est quæ confertur a persona nullo clericali charactère insignita, sed habens titulum, vel majoritatis, vel jurisdictionis in personam benedicendam, uti est benedictio Patris, Matris, Magistri, Curatoris etc., puer filios, discipulos, subjectos, etc. et Abbatissæ super moniales ab ea desendentes.

2.° *Ecclesiastica* illa est quæ datur a persona clericali militiæ addicta, quam semper urget munus agendi juxta ritus et preces quæ extant, vel in Missali, vel in Rituali.

Benedictiones vero *Ecclesiasticæ* sunt iterum subdividendæ in Communes et Proprias, sive Reservatas.

1.° *Communes* dicuntur illæ quæ dari possunt a quocumque sacerdote, absque ulla delegatione.

2.° *Propriæ*, vel *Reservatæ*, dicuntur illæ quæ, sub pœna nullitatis, dari nequeunt nisi ab Ecclesiasticis in superioribus gradibus sacræ Ierarchiæ constitutis, uti sunt 1.° Papa, 2.° Episcopi. Inter Benedictiones Reservatas recenseri debent etiam illæ quæ, absque nota incompetentiæ et illicitudinis, dari nequeunt a sacerdote qui nulla gaudeat parochiali jurisdictione.

Papæ autem reservantur Benedictiones, 1.° *Rosæ aureæ*, quæ annuatim benedicitur a Papa, Dominica IV Quadragesimæ, quæ dicitur Dominica *Lætare*, et dono mittitur alicui Regi vel Magnato de catholica Ecclesia benemerenti; 2.° *Agnorum Dei*, qui cera alba et purissima conficiuntur, et sacro chrismate benedicuntur a Papa in diebus octavæ Paschatis anni primi sui pontificatus, et anno quoque septimo ab ejus creatione dum ipse vivit; et, ex decreto Gregorii XIII, non possunt nec pingi, nec vendi, nec in annulo gestari, nec arboribus affigi, nec in agris projici, quia semper et ubique habendi sunt tamquam veræ sanctorum Reliquiæ.

Episcopis reservatæ sunt 1.° Benedictiones rerum quæ destinantur ad materiam sacramentorum, uti sunt Benedictiones Chrismatis et Olei Infirmorum; 2.° Benedictiones quæ, ex Ecclesiæ institutione, non perficiuntur nisi sacra unctione, uti consecratio Ecclesiæ, Cœmeterii, Altaris, Calicis, Campanarum. 3.° Benedictiones rerum quæ ordinantur ad usum et ornatum sacrificii; uti sunt Corporalia, Indumenta Sacerdotalia, altaris linteamina, et hujusmodi; quæ tamen postremæ Benedictiones non ita stricte adnectuntur ordini episcopali, ut ad eas impertiendas nequeant, uti frequentissime evenit, legitime delegari inferiores sacerdotes, præsertim si in aliqua dignitate constituti.

Episcopis quoque reservatur 1.° Benedictioni præmittere versiculos *Sit nomen Domini benedictum etc.* 2.° Benedictionem impertiri triplici crucis signo; 3.° Populum publice benedicere per viam transeundo.

Parochis denique reservantur Benedictiones 1.° Nuptiarum, 2.° Fontis baptismalis, 3.° Domorum in Sabbato Sancto, juxta ritum romanum, vel in Vigilia Nativitatis Domini, juxta ritum ambrosianum. 4.° Benedictiones omnes quæ jurisdictionem supponunt, vel localem, vel personalem. Si vero pro hisce Benedictionibus in Rituali dicitur *explendæ, vel a parocho, vel ab alio sacerdote*, hæc verba intelligi semper debent ex consensu et licentia parochi, cui spectant de jure.

2.° Ex parte Subjecti.

Aliæ enim Benedictiones conferuntur Personis; et aliæ Rebus.

3.° Ex parte Finis.

Aliæ sunt Constitutivæ, et aliæ Invocativæ.

Constitutivæ illæ sunt quæ faciunt rem ita sacram, ut, absque peccato, non possit amplius applicari ad profanos usus. Tales sunt Benedictiones Ecclesiarum, Campanarum, Calicum, Corporalium, Vestium Sacerdotalium, omniumque sacrorum suppellectilium etc.

Invocativæ sunt illæ quæ dantur ad divinam opem implorandam, tum Personis, tum Rebus, non ut laicalem statum amittant, sed tantum ut melius deserviant vel divino cultui, vel fidelium utilitati. Tales sunt Benedictiones Domorum, Navium, Retium, Frugum, Comestibilium, Agrorum, Equorum, Animalium, nec non Filiorum, Peregrinorum, Infirmorum etc.

4.° Ex parte Formæ.

Aliæ dicuntur Verbales, aliæ Reales.

Verbales dicuntur Benedictiones quæ verbis et signis tantummodo conficiuntur:

Reales illæ in quibus intervenit unctio sacri olei, vel chrismatis.

5.º Ex parte Ritus.

Aliæ dicuntur Solemnes, et aliæ Simplices.

Solemnes sunt illæ quæ majori pompa peraguntur, scilicet in loco sacro, coram populo, accensis cereis, thure adhibito, ubi occurrat, et plurium ministrorum comitatu.

Simplices illæ sunt quæ peraguntur absque speciali apparatu, sed tantum congruentium precum recitatione, crucis signo, et aquæ benedictæ aspersione etc.

Ad Tertium = Quid requiratur ad rectam Ecclesiæ benedictionem?

Ad rectam Ecclesiæ Benedictionem alia sunt præparanda, alia peragenda.

1.º Quæ sunt Præparanda.

1.º Scripta facultas a loci Episcopo obtenta, quando Ecclesiam benedicturus non sit Episcopus.

2.º Comitatio quatuor, vel plurium Sacerdotum et Clericorum cum cottis.

3.º Crux gestatoria.

4.º Duo Candelabra cum cereis.

5.º Aqua ab Episcopo benedicta, idest in cujus benedictione mixta sint sale, vinum et cineres.

6.º Aspergillum de herba byssopi, cum situla (secchiello dell'Acqua santa.)

7.º Pluviale et stola albi coloris.

8.º Sacræ Vestes pro Missa de die celebranda immediate post Ecclesiæ benedictionem.

9.º Tapete cum pulvinari præ foribus Ecclesiæ sternendum.

10.º Libri pro canendis Psalmis et pro Missa celebranda, nec non occurrentia anagnosteria (lettorini), ad cantorum commoditatem.

11.º Ecclesia benedicenda debet esse vacua populo, et omnino nuda, scilicet:
Parietes sine tappetis et peristromatis (tappezzeria.)
Pavimentum sine abacis, (banchi) et sine sedibus.
Altaria sine antipondio (pallio,) sine mappis, sine candelabris, aliisque ornamentis, excepta unica Icone altaris, quæ toleratur ob difficultatem illam statim bene apponendi post Benedictionem pro Missæ celebratione.

2.º Quæ sunt Peragenda.

Peragenda pro recta Ecclesiæ Benedictione reduci possunt ad hæc tria, scilicet: 1.º Ad Aspersiones, 2.º ad Preces, 3.º ad Missam, juxta ordinem et modum in Rituali minutatim descriptum, cui nemini licet nec addere, nec demere, nec quomodocumque immutare.

Attamen, ut peragenda in Ecclesiæ Benedictione recte undequaque procedant, multum juverit præ oculis habere quæ sequuntur.

I. Ad Ecclesiæ Benedictionem recte peragendam, instituenda est Processio quæ egrediatur, non ab Ecclesia benedicenda, sed ab alia Ecclesia quæ in vicinia habeatur, aut ab honesto congruenti loco ubi possint ministri congruas vestes induere et seipsos ordinate disponere.

II. Processio fieri debet ad principalem Ecclesiæ benedicendæ januam, sequenti ordine.

1.º Præcedat Clericus déferens situlam cum aqua benedicta.

2.º Sequatur Crucifer medius inter ceroferarios cum cereis accensis.

3.º Veniant tertio loco Clerici primum, inde Sacerdotes, omnes superpelliceis induti.

4.º Claudat Processionem Delegatus ad Benedictionem, indutus Alba, Cingulo, Amictu, Stola et Pluviali albi coloris.

III. Providendum est ut Ecclesia exterius circumiri et circumdari commode possit; si tamen, ob adnexas fabricas, vel alia impedimenta, id fieri nequeat, sufficit ut Ecclesia circumdetur per illas partes per quas datur aditus. Ritus vero et cæremoniæ semper serventur in quantum fieri potest, prout S. R. C. sæpius, et præsertim Decretis 30 *sept.* 1596, 19 *sept.* 1665, facile permisit. Nec ad hoc faciendum requiritur aliqua dispensatio aut facultas, cum id sit dejure, nam, ad impossibilia nemo tenetur.

IV. Circumeundo Ecclesiam exterius, Benedicens aspergit parietes exteriores in superiori parte et in fundamentis, seu in partibus inferioribus fundamentis proximis, cum aqua ab Episcopo benedicta, interim dicens antiphonam: *Asperges me hyssopo etc.* eamque repetens quamdiu duraverit Aspersio. Clerus comitans interea dicit Psalmum *Miserere.*

V. Hæc Aspersio fit cum aspergillo ex herba hyssopi confecto. Si autem hæc herba inveniri nequeat, adhiberi potest alia herba in sacris ritibus veteris Testamenti admissa, cujusmodi sunt ruta, absyntium, latuca agrestis, origanus, serpyllum (sermolino) verbena, ocymus (basilico), et similia, herbacea vegetalia multum odorifera.

VI. Antiphona *Asperges* etc. integra dicitur ante et post psalmum. Ante psalmum, Benedicens illam inchoat cum aspersione, et Clerus eandem prosequitur.

VII. Infra Litanias, dum sacerdos benedicit Ecclesiam et Altare, non debet se vertere; sed, elevata manu, amplum signum Crucis in aere formare debet versus Altare.

VIII. Infra Benedictionem interiorem Ecclesiæ, Benedicens repetit antiphonam *Asperges* etc. quousque aspersio duraverit, et interim Clerus canit Psalmos graduales *Ad Dominum cum tribularer clamavi* etc. Si Processio finem habeat ante finem Psalmorum, omittitur quod remanet, et statim subditur *Gloria* cum repetitione antiphonæ. Si autem Psalmi non sufficiunt pro toto Ecclesiæ circuitu, adjungi possunt alii ex psalmis gradualibus quotquot sufficiunt, in quorum fine dicitur *Gloria* et antiphona.

IX. Dicta Oratione post interiorem Ecclesiæ aspersionem, primo in parietibus incipiendo a parte Evangelii, postea in pavimento ab altari usque ad portam, populus Ecclesiam ingreditur: Clerici præparant altare; et Sacerdos qui benedixit, vel alius pro eo, induit paramenta ad Missam immediate celebrandam.

Missa debet esse de festo in die currenti, cum Commemoratione peractæ Benedictionis. Advertens quod, si diei officium permittit Missam Votivam, congruentius dicenda est de Sancto vel Mysterio cui Ecclesia est dicata, numquam vero de Dedicatione, quæ tantum convenit Ecclesiæ consecrationi, vel in ipso die Consecrationis, vel in ejus Anniversario.

QUÆSTIO II.

1.° *Quænam esse debeant exteriora sacerdotis ornamenta quando Missales vestes intendit induere?*
2.° *Quænam sint diligenter curanda antequam missales vestes induantur, nec non actu quo ipsæ vestes induuntur?*

Ad Primum. = QUÆNAM ESSE DEBEANT EXTERIORA SACERDOTIS ORNAMENTA QUANDO MISSALES VESTES INTENDIT INDUERE?

Exteriora sacerdotis ornamenta quando missales vestes intendit induere ad tria capita reduci possunt, scilicet:

1.° Ad clericalem tonsuram;
2.° Ad vestem talarem;
3.° Ad cujuscumque vanitatis rejectionem in omnibus personalibus indumentis.

1. De clericali Tonsura.

Sub appellatione clericalis tonsuræ duo veniunt quæ semper simul ita concurrere debent, ut unum sine altero non sufficiat ad clericale munus implendum. Hæc duo sunt:

1.° Circularis capillorum abrasio in summitate capitis: quæ abrasio dicitur etiam *Corona*, et generice vocatur *Tonsura.*

2.° Abscissio omnis superfluitatis in coma, ita ut capilli, ex anteriori parte frontem non tegant; a dextris et a sinistris non ultra aurium medietatem descendant; retro vero parum tantummodo ultra occipitem protrahantur, et nullibi appareat artificiosa eorum cultura, nec per intortitia, nec per unguenta, nec per quamcumque profanam distributionem aut dispositionem.

Quod hæc duo sint de præcepto facile eruitur:

1.° Ex Decretalibus, uti, (in cap. *Clerici*) dicitur quod, ipsi *Coronam et Tonsuram habeant congruentem.*

2.° Ex Cœremoniis in Pontificali præscriptis ad conferendam tonsuram, qua clericali militiæ candidatus adscribitur, et laicali statui omnino renuntiat. Pontifex enim cum forbicibus capillorum extremitatem illi incidit in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, et in medio capitis, abscissosque capillos in bacile deponit, Deum deprecando ut famulus cujus comam pro divino amore deposuit, in Dei dilectione perpetuo maneat, eumque sine macula in sempiternum custodiat.

3.° Ex Pontificiis Constitutionibus, et præsertim Urbani VIII anno 1624: Clementis IX anno 1667: Innocentii XI 1681, et Innocentii XII 1691, qui monitis et minis clericos tonsuram negligentes totis viribus semper insectati sunt.

4.° Ex Conciliis Provincialibus et Synodalibus plurimorum Episcoporum et præsertim percelebris sacræ disciplinæ instauratoris Caroli Borromæi, in quibus hæc habentur = *Ecclesiastici singuli Tonsuram, seu Coronam, ordini suo congruam et patentem deferant: et quidem sub pœna suspensionis a divinis si sacris initiati, privationis habitus si secus.* = *Comam et barbam ne studiose nutriant.* = *Capillis simplicem cultum adhibeant.* = Et, ne aliquod dubium subesset circa coronam proprio ordini congruentem, edicto ab eo lato, 24 Dec. 1566, declaravit quod *Præsbyteri tribus digitis, cæteri inferioris ordinis clerici digitis saltem duobus, Coronam ex omni parte latam perspicue gerant* = *Quod si non fecerint, nulla alia declaratione facta, beneficiis atque officiis privatos esse declaramus.*

Nec est prætereundum quod in Conc. Prov. Mediol. V. die 7 Maji 1576 peracto, pro singulis clericatus gradibus ita describitur Tonsuræ forma = Pro *Minoritis* in orbem ducta circa peripheriam pateat unciis duabus, pro *Subdiaconis* duabus cum dimidia, pro *Diaconis* tribus, pro *Sacerdotibus* quatuor unciis (uncia hæc tamen minor est ac nostra, nam uncia cubitus æquivalet tantum duobus centimetris aliquanto minus) *La rasura.* (ait S. Alphonsus) *in mezzo alla testa, chiamata Chierica. nei Sacerdoti sia grande a guisa di un' ostia grande; nei Diaconi sia più piccola. e proporzionalmente nei Chierici inferiori, ma non minore di una particola, e sia rinnovata almeno ogni quindici giorni.*

Quanti vero sit facienda constans congruentis tonsuræ delatio facile eruitur ex sequentibus animadversionibus quæ tonsuræ respiciunt mysteria, dignitatem, antiquitatem, obligationem et utilitatem.

1.° *Mysteria.* = Tonsura enim significat sæcularium vanitatum perpetuam rejectionem, et proinde clericalis status excellentiam, juxta illud Petri dictum: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* = sicut olim filiis qui a divitibus adoptabantur, eorum Pater capillos rescindebat, ita clericalis abscissio capillorum significat clericorum adoptionem in Christi familiam cum spe et vocatione ad ejus gloriæ hæreditatem.

2.° *Dignitas.* = Clerici per tonsuram conformitatem acquirunt, tum Christi Domini qui in capite suo portavit spineam coronam, tum apostolorum Principis Petri, qui, cum detonsus fuisset a paganis ad ignominiam, deinceps tonsuram servare voluit ad gloriam.

3.° *Antiquitas.* = Cum capillorum tonsura a sanctis Apostolis originem sumpserit, de capillis rescindendis præceptum, pro omnibus qui Deo se intendunt vovere, singulis sæculis ita fuit religiose custoditum, ut nulla assignari possit provincia in qua, una cum catholicæ fidei susceptione, non fuerit statim adoptata clericalis tonsura ad indicandum specialem Dei famulatum.

4.° *Obligatio.* = De indeclinabili clericalis tonsuræ deferendæ obligatione, præter ea quæ superius dicta sunt, juverit notare, nullum esse moralis theo-

logiæ tractatorem qui a culpa excuset cujuscumque ordinis clericum qui, consulto, per notabile tempus tonsuram non deferat.

5.° *Utilitas.* = Levissimum clericalis tonsuræ sacrificium amplissime remuneratur per quinque maximi ponderis privilegia, quibus Ecclesia suos cujuscumque ordinis ministros insigniri voluit quando per clericalem tonsuram proprium statum non erubescant = Hæc privilegia neminem latet quod dici solent privilegia. 1.° *Canonis.* quo clericum percutiens excommunicationem ipso facto incurrat. 2.° *Fori*, quo a sæculari jurisdictione, si non de facto ex contraria civili lege, saltem ex jure, clericus eximitur. = 3.° *Competentiæ*, quo clericus miserrime obæratus, nequeat in carcerem detrudi, neque honesta sustentatione privari. 4° *Immunitatis*, quo a nonnullis cæterorum civium obligationibus liberatur. 5.° *Habilitatis* ad beneficia et pensiones.

Iam modo, hæc omnia privilegia amittunt clerici per solum factum quod comam nutriant et tonsuram non deferant = Et revera: a Papa Alexandro III responsum fuit in excommunicationem non incurrisse qui clericum percusserat comam nutrientem. = Et Sixtus V, Constit. 92. omnia privilegia abstulit clericis relaxantibus crines. Et Sacra Concilii Congregatio, sub die 20 sept. 1860, solemniter declaravit quod clericus qui amittit privilegium fori, ipso facto amittit omnia alia clericalia privilegia, ita ut considerari debeat tanquam persona laica etiam in causis criminalibus.

Quod si aliquis auderet reponere clericos non deferentes tonsuram videri esse excusandos, vel ex contraria plurium Ecclesiasticorum consuetudine, vel ex tolerantia Episcoporum qui circa hoc delinquentes nec arguant, nec puniant, obvia erit responsio, nec unum, nec alterum delinquentibus suffragari = 1.° Non contraria consuetudo, quia, juxta 18. Iuris regulam. *Non firmatur tractu temporis quod de jure ab initio non subsistit* = 2.° Non Episcoporum silentium, quia, delinquentium immunitas quoad factum, numquam destruit delinquentium culpam quoad jus a suprema Ecclesiæ auctoritate continuo sancitum.

Ex hucusque dictis de clericali tonsura, legitime est inferendum quod, maximis laudibus semper erit extollendum quod factum legitur a vigilantissimo Pataviæ Episcopo Georgio Cornelio anno 1566. Cum præsbyter satis dives sed vanus, Episcopi monitis renuisset obtemperare circa comam, quam intonsam degebat, juste indignatus Cornelius, reluctantem subditum, non solum notabiliter mulctavit et carcere mancipavit, sed, ad normam sacrorum canonum, eum tondere fecit, ejusque comam in propria Cancellaria appendi jussit ut omnibus clericis in perpetuum salutarem ingereret terrorem; et sic omnibus suasum esset quod tonsuræ abjectio per capillorum relaxationem, est, quasi dicam, publica a clericali ordine apostasia, omni severitate semper mulctanda.

II. De veste Talari.

Clericali tonsuræ præcepto aliud semper comitatur de clericali veste ferenda ad sacrorum canonum normam. Utrumque enim requiritur ad clericalem habitum integre constituendum.

In Concilio enim Aquileiensi, habito anno 1595, de vita et honestate Clericorum, legitur = *Habitum clericalem declaramus esse qui veste talari et tonsura constat* = *Si ex duobus alterum desit, dicimus clericalem habitum integrum non esse* = Idemque inferius confirmavit hisce verbis = *Non sufficit tonsura sine habitu, sed comparative requiritur utrumque* = Iam modo: clericalis vestis, ut juri canonico sit conformis, tres habere debet conditiones, unam in forma, alteram in colore, tertiam in materia.

1. Quoad Formam.

Clericalis vestis esse debet oblonga et demissa usque ad talos, idest ad illius pedis os quod exuberat penes calcaneum, et anatomice *tali* nomine distinguitur. Talaris forma in clericorum veste ab ipsis Apostolis dicitur ordinata, utpote antiquitus usitata ab ipsis patriarchis, uti videre est in veste polymita qua Jacob vestiverat filium suum Joseph: nam de ipso legitur

quod hæc vestis, talaris erat quoad formam; unde de ejus fratribus dicitur quod *nudaverunt eum tunica talari et polymita* = Ideoque usus vestis talaris in magna æstimatione semper fuit apud viros sapientes, cum ejus forma non mediocrem conciliet decorem, et indicet animi gravitatem.

Patriarcharum exemplum secuti sunt Romani, qui morum gravitate cæteris populis semper præcellerunt. Hocque præcipue sub imperatore Caracalla, qui vestium usque ad talos defluentium formam præscripsit Romanis, et ab ipso imperatore talares vestes, *vestes Caracallæ* vocari cæperunt, uti habetur in S. Eucherio, Lugduni Episcopo, circa annum 450, qui de ecclesiastica veste loquendo, dicit = *Est veluti in Caracallæ modum, sed sine cuculla, qua in primitivo Ecclesiæ statu in signum decoris uti cœperunt.*

Ideoque, omnia Concilia et sanctorum Patrum monita clericis et sacris ministris inculcant ut vestem talarem continuo deferant, atque a brevibus tunicis semper abstineant; advertendo etiam quod, talares vestes oportet esse clausas, non autem apertas vel ante, vel retro, et non expectoratas, ita ut, neque caligæ, neque femoralia, videri possint.

Ejusdem longitudinis et talaris formæ esse debet etiam pallium (quod in Conciliis vocatur cappa, tabarrum, mantellium, ferrajolum) quo clerici utuntur supra vestem, præsertim hyemali tempore ad frigus arcendum, et pluvia ingruente ad sui madefactionem impediendam.

2. Quoad Colorem.

Inficiandum minime est clericis in primitiva Ecclesia licuisse uti quocumque colore in propriis vestibus, etiamsi generice asseratur quod præcipue utebantur albo colore quando nulla erat pertimenda a Gentilibus persecutio. Color autem albus cæteris coloribus præferebatur tribus rationibus. 1.° Quia eandem vestem adhibebant Aaronici sacerdotes: 2.° Quia vestes albæ apud antiquos propriæ erant virorum sapientia et religione præcellentium: 3.° Quia alba veste induebantur neobaptyzati, in signum recenter acquisiti animi candoris per regenerationis lavacrum.

Tempore vero S. Augustini, tam Ecclesiastici, quam alii fideles coacti fuerunt dimittere vestes albas, ne viderentur sectatores hæreticorum Novatianorum, qui, ad ostentandam prætensam eorum munditiem, *cathari*, idest *mundi*, voluerunt nominari, et candidis vestibus se induebant ut exterius tales apparerent quales interius se prædicabant.

Sapienter abolito in vestibus colore albo, violaceus cæpit adhiberi a clericis sæcularibus usque ad quintum circiter sæculum, in quo Monachi cæperunt sacros Ordines suscipere, sacramenta ministrare, aliasque sacras functiones ad Episcoporum nutum peragere. Et quoniam Monachi nigras vestes consueverant induere, ut colligitur ex Hieronymo in epitaphio sanctæ Marcellæ, etiam clerus sæcularis, ex conversatione cum clero regulari, colorem nigrum amplexus est in vestibus suis quotidianis: et color violaceus retentus est tantum in vestibus Prælatorum, Episcoporum et summi Pontificis familiarium, ad prælatitium cætum prima fronte bene distinguendum a clericis inferioribus. Et si in aliquibus diœcesibus Seminariorum alumnis vestis permittitur coloris violacei, hoc fit in memoriam antiquissimi usus qui viguit in toto clero sæculari. A sæculo ergo quinto usque nunc, prius ex consuetudine ubique recepta, postea ex Ecclesiæ lege millibus modis repetita et gravissimis pœnis sancita, color niger in clericorum vestibus ita invaluit, ut quicumque alius color ubique fuerit absolute prohibitus, uti facile videre est in Pontificiis Decretalibus et Conciliorum statutis. Hinc, a Simeone veneratissimo Thessalonicensi archiepiscopo sub initio sæculi XIV, dicitur, in suo doctissimo liturgico opere = *Episcopus vestem nigram, quæ humilitatis et religiosi timoris symbolum est, benedicit, et consecrandum eam induere jubet.*

Quæ hinc usque dicta sunt de veste talari et de ejus nigro colore a Clericis cujuscumque ordinis induenda, fideliter retinenda sunt, non solum quando Clerici de domo egrediuntur, sive ad Sacra in Ecclesia peragenda, sive quacumque alia ratione per vias incedant; sed etiam quando inter domesticos parietes privatissime morantur, juxta illud divi Caroli in suo 1.° Provinciali

Concilio (*pag.* 24) *In omni vestitu, color tantum niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus.*

Merito ergo a sacris auctoribus gravissime redarguuntur Ecclesiastici qui, domum ingressi, talarem nigramque vestem illico deponunt, et ornatas, coloratasque vestes, laicorum more, induuntur: vel, tamquam vilissimi famuli, in femoralibus remanent, magno cum dedecore clericalis dignitatis, et semper cum non levi spectantium scandalo.

3. Quoad Materiam.

Cum eruditissimus Pompeus Sarnelli, qui, exeunte sæculo XVII, vigiliensem (di Bisceglia) Episcopatum tenuit, (obiit anno 1724), plusquam duodecim congesserit Conciliorum testimonia ad probandum, Clericis prohibitum semper fuisse omne sericum vestimentum, et laneum tantum permissum atque jussum, non est cur laboremus ad ostendendum materiam clericalis vestis non posse aliam esse quam *laneam*. De hoc enim clarissimum habemus testimonium in divi Caroli statutis in tota Ecclesia veneratissimis, qui, de clericorum vestitu loquens, in primo suo Provinciali Concilio, hoc sancivit decretum = *Ne serico vestimento aut ornamento, domi aut foris, utantur* = *Jubemus vero iltos laneum, et ei ordini decorum, vestimentum adhibere.*

Lanea materia in clericorum vestibus ita est exclusive retinenda, ut neque Episcopis liceat ab hac præscriptione discedere = In Cæremoniali enim Romano legitur (lib. I. I.) *Vestes autem Episcopi hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex cameloto, coloris violacei; nullo autem modo serica.*

II. De rejectione vanitatum circa alia indumenta.

Ad exteriora sacerdotis ornamenta, si primario loco pertinet capitis tonsura una cum clericali corona, et talaris vestis nigri coloris, et materia lanea contexta, prætereunda non sunt quæ vesti clericali accedunt, nempe Cinctura, Collare, Calcei, Pileus, in omnibus ecclesiasticis viris, et Anulus in aliquibus tantum. Videndum ergo a nobis est quomodo esse debeant singula hæc indumenta ut canonicis præscriptionibus dici possint plene conformia. Hoc est quod sequentibus capitulis explanare aggredimur.

1. De Cinctura.

Si in talari veste romano more considerata, per globulos a collo ad pedes eam claudentes, tolerari potest, non habitualiter, sed transitorie tantum, cincturæ omissio, in veste ambrosiana, quæ, Regularium more, qui que, aut sex tantum globulis clauditur supra pectus, cinctura ita est de necessitate ad clericalis habitus decorem, ut in Mediolanensi Synodo 36, latum fuerit decretum — *Sine cingulo nullus incedat* = *Semel admonitus, et parere detrectans, nummo aureo mulctetur.*

Diximus Cincturæ omissionem romano more excusari posse, si transeunter tantum, non autem habitualiter, accidat. Ratio est quia, cum in Lucæ Evangelio legatur Apostolis dictum: *Sint lumbi vestri præcincti*, Synodales Constitutiones totius catholicæ Ecclesiæ numquam destiterunt a proposito commendandi et jubendi cunctis clericis cincturæ delationem, ita ut, non improprie, invectum sit proverbium = *Discincta vestis, discinctus animus.*

Quoad vero materiam qua compacta esse debeat clericalis Cinctura, facile est respondere cum divo Carolo, quod non alia esse debeat quam *lanea*, cum lanea materia confici debeant omnes clericorum vestes. Hinc, ad rem egregie facit quod de Tarasio sanctissimo Constantinopolitano patriarcha, sub anno 784, refert Surius in ejus vita (25 Febr.), scilicet, quod ipse expresse jusserit ut cinguli quibus utuntur clerici, semper esse debeant *ex pilis caprarum contexti.*

Quoad vero *Cincturæ formam et colorem*, servandum est ab omnibus decretum synodi Mediol. anni 1564 hisce verbis conflatum = *Ne cingula serico, retisve instar, sint contexta, aut confecta e corio, sed adhibenda semper sunt ex stamine nigri coloris.*

2. De Collari.

Clericorum Collaria debent esse simplicia, alba, non lata, seu diffusa more laicali. Hinc divus Carolus in suo I.° Prov. Concilio, sequentes edidit regulas = *Collare, quod dicunt, simplex ac modice latum, honeste reclinetur. Camisas ad collum et ad manus crispas et rugosas, vel artificio elaboratas, Clerici rejiciant.* Hæ normæ, utpote sapientissimæ, confirmatæ fuerunt in Prov. Aquileiensi Concilio anno 1592, in quo hæc verba leguntur = *Collaria camisarum quocumque modo crispata, seu laciniata, damnamus, rejicimus, et personis clericalibus minime convenire pronunciamus.*

Sicuti vero temporis processu, loco collaris camisiæ adnexo, invectus est in clero sæculari usus collaris a camisia omnino distincti, brevi camisiæ collari superpositi, et ex occipitis parte firmiter clausi, eo quod constet principaliter crasso papyro, lanea materia nigri coloris cooperto, super quod bene extensa prospicitur linea fascia argentei coloris, pro libito permutanda ad decoris tutamen, haberi potest tamquam regula satis secura, illa theologi Scavini declaratio, quæ legitur in suo tractatu de obligationibus = *Nemo in publicum prodeat sine decenti collari, linea tænia obducto, non artificiose elaborato.*

3. De Calceis.

Calcei, sine quibus nemini licet, etiam Regularibus discalceatis, sacrum facere, debent esse nigri coloris, non ad mundanam formam, sed juxta clericalem modestiam: nam in Pontificiis constitutionibus decernitur quod *Clerici sæcularibus consutitiis, aut rostratis non utantur.* Et in Synodo senonensi, (can. 24.) præscribitur *Ne Clerici lunatis, seu cornutis, aut nimis fenestratis calceis utantur* = Uno verbo, semper est tenendum quod legitur in Decretalibus (cap. Clericus, dist. 42.) *Clericus professionem suam, et habitu et incessu probet, et ne in vestimentis, nec in calceamentis, decorem sibi incongruum quærat.*

4. De Pileo.

Quoad formam, Pileus esse debet *non aculeatus, non turbinatus, non fastigatus, non nimis latus, vel restrictus.* Et quoniam sæculares, circa pileorum formam, instabiles sunt, eamque immutant de die in diem, cordi esse debet clericorum divi Caroli monitum, in suo I.° Prov. Concilio = *Omnem habitus et ornamenti novitatem Clerici fugiant.* Et, cum in omnibus Italiæ regionibus, jam a tribus sæculis, undique sit accepta, et pluribus synodalibus decretis sancita, pro clericis cujuscumque ordinis, forma triangularis in Pileo, juxta illud Scavini =

Vestis, Collare, Pileum Tonsuraque sunto
Longa, lino obductum, triangulare, patens.

Quoad vero *Pilei materiam,* generice dicitur, uti de cæteris vestibus, quod Pileus esse debet de lana simplici. Sed nunc temporis haberi potest tamquam canonicæ legi non repugnans Pileus ex villoso serico panno (vulgo *Felpa*) constructus. Et hoc sequentibus duabus rationibus: I.° quia villosus sericus pannus in Pileo, ex vulgarissimo usu, nullam omnino retinet elegantiæ speciem, quæ clericis semper prohibetur: 2.° quia in communi æstimatione, clericalis Pileus distinguitur a sæculari, non a materia, quæ ab omnibus habetur tamquam indifferens, sed exclusive a forma, quæ indispensabilis reputatur ad distinguendum sacrum cœtum a profano.

5. De Anulo.

Anuli aurei ornatus, ex jure canonico, competit paucissimis, scilicet:

1.° Episcopis, in signum eorum desponsationis cum Ecclesia cujus regimini præsunt, sive titulariter, sive in partibus infidelium.

2.° Doctoribus legitime constitutis, in signum fidei ab eis juratæ veram scientiam totis viribus defendendi.

3.° Prælatis Pontificalium usum habentibus, in signum eminentioris eorum dignitatis supra communem clericorum ordinem.

Notandum vero quod Episcopis tantum competit anulus cum gemma: sed Doctoribus et Prælatis nulla gemma permittitur in proprio anulo.

Rursus: relate ad anuli usum in Missa, notanda sunt quæ sequuntur:

1.° Episcopis et Protonotariis participantibus, anuli usus semper competit, etiam in quacumque privata Missa.

2.° Prælatis ad instar participantium anuli usus permittitur tantum in celebratione Missæ Pontificalis, aliisque sacris functionibus quæ pontificalem Missam immediate, vel præcedunt, vel subsequuntur. *(Constit.* Apostolicæ Sedis. *Pii IX die* 29 *Aug.* 1872.)

3.° Doctoribus et Canonicis cathedralium, sive in privata, sive in solemni Missa, anuli usus semper prohibetur, ex S. R. C. decretis 15 Febb. 1623 quoad primos: 10 Nov. 1728, quoad secundos.

Conclusio.

Ex dictis in solutione ad primum, obvium est ernere = Exteriora sacerdotis ornamenta quando missales vestes intendit induere, esse debere:

1.° Comam canonice tonsam cum patenti corona in medio capitis.

2.° Vestem talarem laneam nigri coloris, lanea zona bene clausam,

3.° Vanitatum omnium rejectionem quæ semper omnibus patere debet:

1.° In pileo quod, debet esse triangulare:

2.° In calceis nigris omni elegantia carentibus:

3.° In collari simplicitate et albore fulgenti.

4.° In digitis nullo anulo ornatis nisi sit episcopus, vel unus ex septem Protonotariis participantibus qui episcopalibus gaudent honorificentiis.

Ad Secundum. — Quænam sint diligenter curanda a sacerdote antequam missales vestes induat, nec non actu quo ipsæ vestes induuntur?

1. Quænam sint curanda antequam missales vestes induantur.

Antequam missales vestes induantur, diligenter curare debet sacerdos quæ sequuntur.

1.° Quod conscientiam nulla culpa remordeat.

2.° Quod, nisi legitimum obstiterit impedimentum, jam sit absoluta recitatio Matutini et Laudum.

3.° Quod, flexis genibus, devota præmittatur actualis ad Missam præparatio, quæ, saltem ad quartam circiter horæ partem, perduret.

4.° Quod non omittatur præscripta manuum lavatio, cui comitari semper debet congrua præscripta oratio.

5.° Quod attente exploretur loci Kalendarium, ad omne vitandum periculum omittendi Commemorationes et Collectas, quæ non semper cum diei officio conjunguntur.

6.° Quod in congruenti loco ordinentur Missalis cordulæ, ne de confusione aut omissione redargui possit sacerdos in Missæ de die celebratione.

7.° Quod deponatur Epitogium (zimarra) et quodcumque aliud vestimentum quod talari vesti superpositum deferatur.

8.° Quod propria manu Calix paretur, ponens super illius os Purificatorium mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra, leviter a fragmentis extersa, eamque teget parva palla linea; advertendo quod, pallæ facies levigata hostiæ debet esse immediate adhærens, nam, ad hoc, et non aliter palla ex una tantum parte levigatur.

9.° Quod Corporale deferri semper debet in Bursa occlusum, et numquam extra eam, ne inanis reddatur Bursæ invectio, et congrua desit corporali custodia.

10.° Quod Bursa ita sit calicis velo superposita ut apertum ejus os omnino dispareat per velum super Bursam revolutum.

II. Quæ sint curanda actu quo missales vestes induuntur.

Actu quo missales vestes induuntur paucis verbis absolvemus. Curandum enim est:

1.° Ut omnia in silentio peragantur, et sic omnes intelligant quod missalium vestum assumptione incipiuntur mysteria divini illius Sacrificii cui non aliter convenit quam devotissima cordis meditatio et ardentissimus animi affectus.

2.° Ut singulæ vestis assumptioni fideliter respondeat devota congruentis orationis recitatio.

3.° Ut numquam omittatur, etiam in nigris paramentis pro Missa defunctorum, præscripta osculatio crucis in Amictu, in Manipulo et in Stola; quæ osculatio repeti semper debet etiam in earum trium vestium depositione post Missam.

4.° Ut birreto caput tegatur antequam calix sinistra manu accipiatur.

5.° Ut calix sinistra manu accipiatur ad nodum, et dextera super Bursam extensa teneatur calix ante pectus reverenter elevatus.

6.° Ut paratus sacerdos a sacristia non discedat nisi post congruam reverentiam sacræ Iconi quæ, vel fuit præ oculis sacerdotis missales vestes induentis, vel pallam constituit altaris in sacristia præminentis.

QUÆSTIO III.

1.° *Unde orta, et quanti sit facienda colorum diversitas quæ nunc præcipitur in Paramentis?*

2.° *Unde sit sumenda ritualis coloris specialitas ut recte eo Sacerdos utatur in Missa quando paramenta sint in coloribus mixtis?*

3.° *An Paramenta et Pallia altaris aurea vel argentea adhiberi possint pro quocumque colore?*

Ad Primum. Unde orta, et quanti sit facienda colorum diversitas quæ nunc præcipitur in paramentis?

De Paramentorum Coloribus Prænotiones.

Ad rectam hujus quæstionis solutionem sequentia prænotanda putamus.

1.° Quod novi sacrificii institutor Christus Jesus divinam instituit Eucharistiam non in alia quam in propria habituali veste, quam albi fuisse coloris asserit Baronius.

2.° Quod primissimis Ecclesiæ temporibus, non communi domestico indumento, sed speciali veste, ad sacra peragenda exclusive ordinata, sacras peregerunt functiones tum Apostoli, tum immediati eorum successores.

3.° Quod speciales vestes ad sacra peragenda ordinatæ, a vestibus in communi vita usitatis fuerunt, non tantum distinctæ, sed etiam diversæ; scilicet, speciali cura confectæ, maxima diligentia servatæ, et materia communi pretiosiore.

4.° Quod vestes ad sacra peragenda ordinatæ, non tantum fuerunt pretiosiori materia confectæ, sed variis etiam coloribus ingeniose contextæ.

5.° Quod, si difficile est præfinire quonam tempore cœperit præceptivus usus variorum colorum qui nunc obtinent in Ecclesia, probabilius videtur hoc non evenisse nisi circa sæculum decimum, quia clara de hoc mentio non invenitur nisi in scriptoribus qui decimo secundo, et decimo tertio sæculo floruerunt, uti sunt Innocentius III qui Romæ sedit ab anno 1198 ad annum 1216, et Guillelmus Durandus, doctissimus Mendensis episcopus, qui obiit anno 1296, utillimumque nobis tradidit volumen inscriptum *Rationale Divinorum Officiorum.*

Notandum vero est quod tempore Innocentii III, qui primus scripsit de variis paramentorum coloribus in sacris adhibendis, quatuor colores tantum, idest albus, rubeus, viridis et niger fuerunt in usu: nam color *albus*, tamquam symbolum candoris vitæ et castitatis, tribuebatur Confessoribus et Virginibus; *rubeus* Apostolis et Martyribus; *viridis* Feriis et Dominicis, *niger* diebus Jejunii, Adventus et Quadragesimæ, et in commemoratione mortuorum. Colorem *violaceum* non commemorat Innocentius quia sua obscuritate habebatur ut niger, et unius ac alterius promiscuus erat usus.

Sæculo tamen XIII Ecclesiarum Prælatis color niger morti quasi exclusive convenire visus est, unde hunc colorem commemorationi mortuorum de-

stinarunt; colorem autem violaceum, quia est quasi pallidus et lividus, qualis ex maceratione carnis atque ex afflictione consurgit, diebus jejunii et pœnitentiæ, et juxta ambrosianum ritum, viduis etiam, matronis et fœminis pœnitentibus, adhibendum esse crediderunt, et ita quinque in Ecclesia invaluere colores, scilicet albus, rubeus, viridis, violaceus et niger. Hic vero notandum occurrit quod, tam in Altaris, quam in sacerdotis paramentis, non licet uti colore cœruleo loco violacei. Non defuerunt scriptores qui putarunt cœruleum colorem antiquissimum fuisse, sed alii meridie clarius ostenderunt nullum exstare de hoc authenticum documentum, hinc illicitum omnino esse coloris cærulei usus in sacris Officiis nisi ad hoc habeatur ab ipsa Apostolica Sede peculiaris concessio, uti factum fuit recentissimis temporibus Hispaniæ Ecclesiis pro festis tantum beatissimæ Virginis, quasi ad indicandam cælestialem ejus sanctitatem. Hisce præmissis, non ambigimus sequenti modo solvere quæstionem.

Unde orta colorum varietas quæ nunc præcipitur in paramentis.

Colorum varietatem quæ nunc obtinet in Ecclesia jure meritoque ortum habuisse putamus a sex sequentibus principiis, scilicet: 1.° a præcepto Synagogæ facto; 2.° a ratione fide illustrata; 3.° a Davidica declaratione in psalmis; 4.° a generico Ecclesiæ præcepto; 5.° ab exemplo venerabilium Episcoporum; 6.° a speciali Ecclesiæ præscriptione pro decentiori et solemniori divinorum officiorum celebratione.

I.° *A præcepto Synagogæ* facto, scilicet Aaron et filiis ejus (*Exod.* 36) ut pontificalia indumenta facerent auro, hyacinto, purpura, cocco bis tincto et bisso contexta, in quibus præcipuos Ecclesiæ colores facile est recognoscere, scilicet color albus in bisso, rubeus in cocco et purpura, flavus in auro, viridis et violaceus in hyacinto (melarancio).

II.° *A Ratione fide illustrata*, qua homines docentur, non in communibus, sed in pretiosioribus vestibus semper decere ut mysteria peragantur quibus miseri Protoplasti filii in novos homines restaurantur. Hinc divus Hieronymus *(lib.* 13 *in c.* 24 *Ezech) Religio divina alterum habitum habet in ministerio, alterum in usu vitaque communi:* ideoque Alcuinus subjungit: Si sacerdotes antiqui vestes habuere ad sacrificia non communes, nos in communi veste sacrificabimus?

III.° *A prophetica Davidis declaratione;* nam in psalmo 44 Ecclesia dicitur adstare vera *Regina in vestitu deaurato circumdata varietate.*

IV.° *A generico Ecclesiæ præcepto,* quo ab apostolico ævo statutum fuit ut a communi veste semper differrent vestes in sacris utendæ; quod præceptum, juxta Gavanti assertionem, manavit a beato Petro, vivente adhuc Clemente, qui hanc nobis tradidit notitiam, confirmavit Anacletus sub initio secundi sæculi, et sancivit Stephanus I qui apostolicam tenuit cathedram ad medietatem sæculi III.

V.° *Ab exemplo venerabilium Episcoporum,* qui, juxta præscriptum sancti Silvestri, paramentorum colorem variare consueverunt prout, vel temporis decor imperare videbatur, vel pro varia functionum indole mysticæ suadebant rationes. Ex historia enim ecclesiastica eruitur 1.° quod sancto Macharío donata fuit a Constantino Magno stola filis aureis texta (Theodor. l. 2, c. 27); 2.° quod planeta sancti Gordiani, patris S. Gregorii, qui martyr obiit anno 362 sub Juliano, erat coloris castanei, qui, in sententia Joannis Diaconi (l. 4. c. 85), idem dici debet ac color viridis. 3.° quod monachus S. Augustinus, ex Gregorii Magno mandato, Anglorum apostolus, S. Lavino suo discipulo, in ipso die quo eum sacerdotio insignivit, dedit, juxta Bollandum, die 26 Maji, *casulam purpuream gloriosi martyrii præsagam,* 4.° quod in hemicyclo absidæ ecclesiæ sancti Venantii apud fontem baptisterii lateranensis, quem Papa Joannes IV extruxit anno 641, etiam nunc videre est Venantius et Joannes induti casulis cærulei coloris, et Asterius Amasiæ metropolita sub initio sæculi V in planeta coloris punici (rosso bruno arancio); 5.° quod in hemicyclo absidis S. Agnetis extra urbem conspicitur in planeta fusci coloris S. Honorius qui Romæ sedit anno 625; 6.° quod in absida ecclesiarum S. Cæciliæ, S. Praxedis, et S. Mariæ in Domnica, indutus casula coloris au-

rei, etiam in præsenti videtur Paschalis I. qui fuit Papa sub initio sæculi IX. Ex quibus testimoniis facile est arguere, Ecclesiæ spiritum semper fuisse ut vestes ad sacra peragenda semper essent, non solum a communi veste materia pretiosiores, sed etiam, juxta peragenda mysteria, ingeniose variatæ.

VI.° *A speciali Ecclesiæ præcepto* in Missalis et Ritualis Rubricis clarissime exposito, quo sacris ministris præscribitur ut paramentorum color fideliter semper respondeat vel temporis vel functionis specialitati, dempta cuilibet facultate paramentorum colorem absque Sanctæ Sedis licentia etiam in minimis variare.

Ex hucusque dictis facile eruitur.

Quanti sit facienda Colorum Varietas in Paramentis.

Cum in decretis sacræ Rituum Congregationis semper sit reverenda suprema Ecclesiæ auctoritas, cui exclusive competit jus cultus Deo placiti securas regulas decernendi et præceptiva voce jubendi, evidentissime patet tanti esse faciendam colorum varietaem quæ nunc præcipitur in paramentis, ut absque culpa, nemini liceat ab hujusmodi lege discedere. Hoc enim esset veram Religionem pervertere, ipsumque Deum per Ecclesiam loquentem inexcusabiliter contemnere; nam, juxta Paulum ad Romanos (c. 2. v. 12): *Quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Idque eo magis quia colorum varietas in paramentis gravissimo innititur fundamento, scilicet ut per paramentorum varietatem fideles omnes facile edoceantur tam de diversa Sanctorum conditione, quam de diversa christianorum mysteriorum specialitate. Et revera: per rubeum colorem in paramentis facile dignoscitur coli, vel martyrium in Sanctis, vel passionem in Christo, vel charitatis fervorem in Spiritu Sancto, uti in colore albo facile conspicitur colendum morum candorem in Confessoribus, in Virginibus, in Angelis et in beatissima Virgine Maria, quæ nullam unquam agnovit labem etiam in primo ejus conceptu, vel aut pacifica aut gloriosa Christi actio in qua nullum invenitur cruentæ passionis vestigium, ut in Natali, Epiphania, Paschate, Transfiguratione et similia. Quod si pro Eucharistiæ cultu, color albus præscribitur ritu romano et rubeus in Ambrosiano, hoc est petendum a diverso respectu sub quo SS. Sacramentum consideratur. In Romanis est color albus quia in azymis hoc maximum sacramentum fuit a Christo Domino institutum; in Ambrosianis vero color est rubeus quia hoc Sacramentum consideratur uti vere est, tamquam memoria cruentissimæ Christi passionis, quæ in ultima cœna ad quam ipse Judas proditor accumbebat, primum habuit lamentabile initium.

Quod per nos dictum est de albo et rubeo pro divina Eucharistia, dicendum est etiam de albo et violaceo pro viduis, matronis et fœminis pœnitentibus, nam in romano ritu considerantur tamquam confessores, et hinc pro eorum cultu color albus adhibetur; et in ritu ambrosiano iisdem Sanctis assignatur color violaceus cum in iis consideretur, vel amissio virginitatis, vel anxietas maternitatis, vel mœstitia viduitatis, vel contritio cordis pro peccatis olim commissis.

Quibus omnibus bene perpensis, neminem latere potest quanta reverentia sit semper prosequenda Ambrosiana Liturgia in differentiis quibus distinguitur a Romana in usu colorum in paramentis adhibendorum pro recto cultu vel SS. Eucharistiæ vel quorundam Sanctorum nec martyrum, nec virginum.

Ad Secundum — Unde sit sumenda ritualis coloris specialitas ut recte eo Sacerdos utatur in Missa quando paramenta sunt in coloribus mixtis?

Circa hanc quæstionem distinguere oportet sequenti modo:

1.° Si varii colores sint in ornatibus vel picti, vel in eadem tela contexti super fundum unius determinati coloris respicientium oculis satis apparentis, fundi color reputandus est determinativus coloris planetæ, et utpote talis coloris, planeta adhiberi potest in Missa cui dictus color est assignatus.

2.° Si varii colores ita sint in planeta permixti ut ejus nequeat distingui

fundus, planeta habenda est illius coloris qui præ cæteris dici potest prævalere.

3.° Si denique colores varii ita in planeta appareant ut unusquisque color suam habeat distinctam et æqualem determinationem, planeta adhiberi potest pro illis coloribus quibus est æqualibus fasciolis contexta. Ipsa enim sacra Visitatio Apostolica hoc toleravit, etiam in Urbe, præsertim in Ecclesiis paupertate laborantibus. Sed non est prætereundum quod Sacra Rituum Congregatio numquam voluit proprio decreto hoc permittere ne Missionariis quidem qui speciale ad hoc petierunt indultum, quia divini cultus decori non satis providetur nisi per varios paramentorum colores, qui, vel temporis vel functionis specialitati quantum fieri potest fideliter respondeant, excepta semper necessitate quæ in rebus mere disciplinaribus nulla unquam lege irretitur.

Ad Tertium — An paramenta et pallia altaris aurea vel argentea adhiberi possint pro quocumque colore?

Cum non idem esse possit duplicis hujus quæstionis responsum, duobus distinctis articulis, scilicet 1.° de Paramentis, 2.° de Palliis, disserere aggredimur.

1. De Paramentis aureis et argenteis.

Cum tela argentea unum habeat distinctum colorem, qualis est albus, ita Paramenta argentea tela contexta adhiberi nequeunt nisi in functionibus quibus albus color expresse assignatur.

Non id dicendum est de Paramentis aureo filo contextis. Aurum enim, quia lucidum habet, colori albo assimilatur; quia igneum habet colorem pro colore rubeo recte habetur; et quia viridis medius est inter colores album et flavum, aureum paramentum, non tantum pro colore albo et rubeo, sed etiam pro viridi, excepto violaceo et nigro, legitime adhiberi posse communiter retinetur quia ipsa S. R. C. hoc solemniter declaravit. Ratio vero ob quam aureum paramentum non convenit nec violaceo, nec nigro colore, in hoc stat, quod violaceus et niger habentur tamquam symbola mœstitiæ et doloris, aurum e contra symbolum est festivitatis et gaudii.

Hoc autem intelligitur de planeta vero auro contexta, numquam autem de illis quæ ex filo flavi coloris contextæ sunt. Cum enim abusus invaluerit in sacris paramentis hanc telam sericam vel laneam flavi coloris adhibendi, ad hanc corruptelam, quam multi consuetudinis nomine cohonestare nitebantur, sacra Visitatio declaravit et decrevit, nullatenus in posterum vestes sacras confici posse tela serica vel alia materia flavi coloris; prohibuit in pluribus Ecclesiis eorum usum; et aliqua tantum utens indulgentia, permisit ut in pauperibus Ecclesiis tantum planetæ tales jam confectæ adhiberentur usquedum fuerint consumptæ.

Ad rem vero, duo præ oculis sunt habenda S. R. C. decreta, scilicet:

I.° Quod sacerdotes exteri celebrantes in Ecclesiis Regularium eundem debent adhibere colorem quo utuntur prædicti Regulares (11. Junii 1701).

2.° Regulares celebrantes in aliena Ecclesia eodem debent uti colore qui in illa Ecclesia adhibetur (11 Jun. 1701).

Quæ decreta præscribentia ut sacerdotes se conforment, saltem quoad colorem, sic intelligenda semper sunt ut rubeus nequeat adhiberi pro confessore pro quo sacerdos recitavit officium, nec albus pro martyre, sicuti decisum fuit in *Varsav.* 7 *Maji* 1764 *ad dub.* 13, et confirmatum in *Fud. dub.* 18, 10, sub. die 7 Sept. 1846.

Uno verbo: Officium est onus personale, ideoque semper est recitandum juxta Calendarium vel Ordinis, vel Ecclesiæ cui recitans est addictus. Missa vero est functio localis, ideoque exteri sacerdotes semper tenentur in propria Missa uti colore qui in loco adhibetur; quod si Missæ color proprio officio non convenit, celebretur Missa vel de Sancto, vel de mysterio, vel etiam de feria, qualis præscribitur in loco ubi celebratur. Exter autem in aliena domo domini usui debet se conformare, numquam vero viceversa.

2. De Palliis altaris aureis et argenteis.

Altaris Pallia, quando sint vel aurea vel argentea, legitime adhiberi possunt pro quocumque colore. Et ratio duplex est:

1.° Quia Pallium ante altare numquam fuit ita rigorose præscriptum ut, eo deficiente, non liceat in ipso altari sacra peragere, quando sub altaris mensa nihil adstantium oculis offeratur quod divinum cultum dedeceat.

2.° Quia si in actis Eccl. Mediol. (*pag.* 956) præscribitur ut *ante omnia altaria continue sit pallium, saltem ligneum, vel ex tela depictum*, statim subjungitur quod *diebus festis aliud pallium apponatur ex pretiosiori materia confectum*.. Jam modo: Si argento et auro nihil est pretiosius, non est quid melius desiderari possit in altari cui pallium sit appositum vel argenteum, vel aureum.

QUÆSTIO IV.

1.° *Quando, et ad quid invecta fuerit frequens in Missa salutatio populi per verba* Dominus vobiscum?

2.° *An hujus sacræ salutationis verba varianda sint quando unus tantum sit Missæ præsens*?

3.° *Cur sacerdos, dicendo in Missa* Dominus vobiscum, *manus extendit, easque mox jungit?*

4.° *Cur populus ad* Dominus vobiscum *respondet* Et cum spiritu tuo, *potius quam* Dominus tecum?

Ad Primum. — Quando et ad quid invecta fuerit frequens in missa populi salutatio per verba Dominus vobiscum?

Populi salutatio per *Dominus vobiscum*, ex plurimorum sententia, fuit ab ipso beato Petro Apostolorum principe primitus ordinata; hinc ab ejus discipulo et successore Clemente confirmata, nec non a divo Anacleto sancita. Hoc ita verum est ut hæc ipsa salutatio inveniatur in antiquissimis liturgiis SS. Jacobi, Basilii et aliorum, in quibus passim legitur *Dominus vobiscum*, aut *Pax vobis*; et Dionysius Areopagita hanc salutationem *divinissimam* appellat, quia, non humanæ adinventionis arbitrio, sed ex antiqua sacri eloquii auctoritate, scilicet in libro Ruth (2. 4.) et Paralipomenon probatur assumpta.

Hæc populi salutatio frequenter repetita in Missa invecta fuit sequentibus rationibus.

I.° Ut sacerdos populum doceat se pacem habere cum tota fidelium plebe, illique optima desursum semper precari.

II.° Ut, Spiritu Sancto adjuvante, populus, per pia vota et sacra desideria, sacerdoti sacrificanti cooperetur ut inceptum opus digne et fideliter compleat.

III.° Ut populo præbeatur occasio vicissim bene precandi sacerdoti ut Deo dignum, sibique et populo perutile, sacrificantis præstet officium.

Hinc, si in romano ritu hæ: salutatio octies repetitur, in ritu ambrosiano aliæ quatuor repetitiones adjunguntur, scilicet duo ante Epistolam, et duo ante Præfationem.

Et hoc fit:

I.° Ne populus negligenter patiatur se distrahi.

II.° Ut per singulos Missæ actus specialis gratia circumstantiæ congruens sacrificanti et assistentibus impetretur, uti facile est videre singulas enumerando vices quibus salutatio Dominus vobiscum in Ambrosiana Missa repetitur.

1.° Ante *Gloria in excelsis*, ut Angelorum fervore gloria Domino decantetur.

Hic notandum occurrit quod, Episcopus, cum primum in Missa salutat populum, sive ante *Gloria in excelsis* in ritu Ambrosiano, sive post *Hymnum* in Romano, non dicit *Dominus vobiscum*, sed *Pax Vobis*, quia hæc fuit prima vox Christi ad Discipulos post Resurrectionem; et Alcuinus asserit hanc

primam populi salutationem per dicta verba, Christum ipsum suis Discipulis ordinasse; ideoque, ut Episcopus se ostendat verum Apostolorum successorem, loco *Dominus vobiscum*, in prima populi salutatione, dicit *Pax vobis*. In progressu vero Missæ, dicit *Dominus vobiscum*, ut ostendat in divino sacrificio peragendo, ipsum Episcopum nihil differre a cæteris celebrantibus qui presbyteratus ordine tantum sunt insigniti.

Quod vero Episcopi sit primam sui populi salutationem emittere per verba *Pax vobis*, confirmari potest exemplo S. Joannis Chrysostomi quando, exanimum ejus corpus, ex Ponti insula ubi obierat, per patriarcham Proculum, Constantinopoli traslatum est, et in patriarchali suo throno, quasi adhuc viveret, fuit collocatum. Statim ac demortuo Doctori Proculus dixit: *Recipe thronum tuum, o Pater:* omnibus summe mirantibus, ex ore defuncti pontificis et doctoris, prodiit clara et intelligibili voce, totius populi salutationem per verba *Pax vobis;* sic enim refert Baronius anno 438, N. 11.

2.° Ante Orationem super populum, ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur.

3.° Ante Epistolam, ut per apostolicam doctrinam bonis moribus expressam omnes repleantur gratia divina.

4.° Ante Evangelium, ut bonum Christi semen semper cadat in terram bonam.

5.° Post Evangelium, ut per evangelica dicta, usque ad centuplum fructificantia, deleantur nostra delicta.

6.° Ante Orationem super Sindonem, ut in suavitatis odore preces omnes ascendant quæ præparatoriam oblationem concomitantur.

7.° Ante Symbolum, ut fides plena et actuosa augeatur in omnibus catholicæ doctrinæ mysteriis.

8.° Ante Orationem super Oblata, ut quod inchoatum est, digne compleri possit per sacramentalem transsubstantiationem et subsequentem sacrificii oblationem.

9.° Ante Præfationem et Canonem, ut ferventiori devotionis spiritu compleantur quæ majori veneratione sunt in Canone prosequenda.

10.° Ante Orationem quæ inscribitur *Postcommunio*, ut de perceptis mysteriis uberrimi et perpetui colligantur fructus.

11.° Ante Benedictionem, ut cælicis donis compleatur quod pie a sacerdote impetratur.

12.° Ante ultimum Evangelium, ut de peracto sacrificio debitæ Domino agantur gratiæ, et omnibus semper luceat illa Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut, qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cœlestes.

Ad Secundum — An verba Dominus vobiscum varianda sint quando unus tantum sit Missæ præsens?

Etiamsi unus tantum sit Missæ præsens, verba *Dominus vobiscum* nunquam sunt varianda tribus sequentibus rationibus.

1.° Quia, juxta Ecclesiæ mentem, per *Dominus vobiscum*, salutatur, non tantum qui sacrificio personaliter assistit, sed etiam tota Ecclesia quæ de sacrificio participat.

2.° Quia quidquid in sacris officiis peculiariter agitur, hoc ipsa Ecclesia, per unitatem fidei et charitatis amorem, unanimiter agere videtur.

3.° Quia de hac praxi continuum habemus exemplum in divini Officii recitatione; nam, etiamsi sacerdos solus recitet Horas Canonicas, semper dicere debet in plurali quod refertur ad populi salutationem aut invitationem. Hinc, invariate dicendum est *Oremus* = *Benedicamus Domino* = *Venite exultemus* etc.

Ad Tertium — Cur sacerdos dicendo in Missa Dominus vobiscum manus extendit, easque mox jungit?

Sacerdos dicendo *Dominus vobiscum*, manus extendit ad indicandum ejus desiderium et sincera voluntas in unum colligendi omnium adstantium corda, ut cuncta cum eo in Domino uniantur.

Extensas manus mox subjungit, ad significandum quod adstantium corda sacerdotis invitationi libenter adhærentia, lubentissime in unum ipse colligit, sibique unit.

Ad Quartum — Cur populus ad Dominus vobiscum respondet, Et cum Spiritu tuo, potius quam, Dominus tecum?

Hoc fit sequentibus rationibus:

1.° Quia alium solemniter benedicere, fausta illi ominando, est superioris erga inferiorem, non autem inferioris erga superiorem. Hinc, si nomine Ecclesiæ sacerdos recte dicit populo *Dominus vobiscum*, incongruum esset populo respondère sacerdoti *Dominus tecum*, quia populus, utpote sacri ministri discipulus et subditus, omni auctoritate caret sacerdotem benedicendi. Rectius ergo dicitur *Et cum Spiritu tuo*, quia in hisce verbis continetur et religiosa declaratio et obsequiosa ominatio.

1.° *Religiosa Declaratio:* declaratur enim desiderium ut totum quod in ecclesiasticis officiis geritur spiritualiter fieri perpendatur.

2.° *Obsequiosa Ominatio:* Ut cor sacerdotis devotione repleatur, et ipse, non sola lingua oret, sed et mente, et spiritu, ut certissime Deo placeat, et semper gratior Deo evadat.

QUÆSTIO V.

1.° *Unde petendus sit Hymnus Angelicus qualis nunc recitatur in Missa?*
2.° *Et quo in sensu accipienda sint verba:*
1.° *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis;*
2.° *Propter magnam gloriam tuam quando æternum Patrem alloquitur.*
3.° *Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, quando locutio dirigitur ad Iesum Christum.*

Ad Primum. = Unde petendus sit Hymnus Angelicus qualis nunc recitatur in Missa?

Anastasius, in vita S. Telesphori, asserit hunc Pontificem constituisse ut ante sacrificium diceretur Hymnus Angelicus, idest *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hæc prima hujus hymni verba e cœlo ad nos Angelorum chorus invexit, et ideo *Hymnus angelicus* dictus est; cætera autem, quæ nunc recitantur in eodem hymno, a quo addita fuerint, multiplex est auctorum sententia; quidam enim Telesphorum, qui anno 126 Romanæ Ecclesiæ suscepit regimen, eorum auctorem faciunt; hujusque sententiæ est Innocentius III lib. 2. c. 20; alii Symmachum, qui Romæ sedit anno 498; alii S. Hilarium episcopum pictaviensem, quibus addi potest etiam Sigebertus in suo Chronico. Sed hanc opinionem rejicit Card. Bona lib. I. Liturgicarum c. 4, quia auctor libri pontificalis nequaquam asseruerat Telesphorum ea verba addidisse, sed tantum constituisse ut ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, et tunc forsitan, ait Bona, verba tantum evangelica in usu erant, sicut extant in liturgia Iacobi; non vero integer hymnus. Observat etiam idem eminentissimus auctor, tempore s. Athanasii jam in usu fuisse, cum hic ss. Doctor in suo libro *de Virginitate* versus finem, de præfato hymno mentionem fecerit hisce verbis: « Hymnumque dicito *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te, adoramus te,* » unde concludit Bona, Patres Concilii IV Toletani, circa annum 633 celebrati, cautius locutos esse, qui Can. 12. ajunt; *Reliqua quæ sequuntur post verba Angelorum, ecclesiasticos Doctores composuisse, quicumque illi fuerint.* Ex supradicto Anastasio habemus pariter Symmachum constituisse ut omni die Dominico et in Natalitiis Martyrum Hymnus diceretur Angelicus. Antea siquidem, tantum in Missa nocturna Nativitatis Domini cantari solebat ex Telesphori decreto, si vera sunt quæ Sigebertus in Chronico et Inno-

centius III in Missæ Mysteriis, tradunt: sed, ut mox diximus, tempore Telesphori, verba tantum evangelica in usu erant. Constitutum vero Symmachi ad totum præfatum hymnum extenditur, quia, ut superius ostendimus, jam antea compositus erat; quapropter, rejiciendi sunt illi qui talem hymnum Symmacho adscribunt. Observandum tamen est, quod, si constitutum Symmachi ad omnes presbyteros extenditur, dicendum est S. Gregorium illud restrinxisse ad solos Episcopos. Missæ enim ordinem in libro Sacramentorum describens Gregorius, ait: *Item dicitur Gloria in excelsis Deo. si episcopus fuerit, tantummodo die Dominico. sive diebus festis; a presbytero autem minime dicitur, nisi in solo Paschate; quando vero litania agitur, neque Gloria in excelsis Deo, neque Alleluja canitur.*

In præsenti vero disciplina, *Gloria in excelsis* dicitur in omnibus Vivorum Missis, excepto casu quo Missa sit, vel Votiva non solemnis, vel de Feria, vel de Vigilia.

Ad Secundum. = Quo in sensu accipienda sint verba:

1.° Gloria in excelsis Deo, et in terra pax;

2.° Propter magnam gloriam tuam;

3.° Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe.

I.° Gloria in excelsis Deo.

Cum nos, utpote homines natura infirmi, culpæ obnoxii, et nimium mente distracti, inidonei simus ad Deo gratias digne agendas pro divinæ Incarnationis mysterio, unde omnium nostrum facta est salus et vita, rectissime in Missæ principio per *Gloria in excelsis Deo* intendimus quæ sequuntur.

1.° Deprecamur Dei adoratores qui in excelsis habitant ut dignam nostro nomine Deo tribuant gloriam et laudem;

2.° De eorum laudibus Deo pro nobis porrectis toto corde gratulamur;

3.° Cælicorum laudes nos ipsi Deo offerimus, utpote nostrorum ipsorum laudibus multo acceptiores. Et ad hoc melius significandum, Celebrantis manus aliquantulum sursum elevantur dum dicitur: *Gloria in excelsis etc.*

Dicendo vero: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, precibus nostris duo optamus:

1.° Ut Dei voluntas semper sit bona et benevola erga nos in quorum salutem Unigenitum Filium suum nobis constituit Redemptorem:

2.° Ut tanti beneficii fructus ita sit uber, ut omnes semper fiamus bonæ voluntatis quasi luminaria, veramque pacem semper habeamus, non tantum cum Deo, sed etiam cum omnibus hominibus, et quidem in charitate non ficta, sed in veritate et sinceritate.

II.° Propter magnam gloriam tuam.

Hic *Gloria* accipienda est pro *Gratia* qua pro nobis, sua tantum benignissima miseratione, Christus voluit incarnari et pati. Nec mirum est quod *gloria* accipiatur pro *gratia*, hocque duabus rationibus:

1.° Quia hac locutione usus est Paulus ad Romanos quando dixit: *Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei,* idest Dei *gratia*;

2.° Quia, cum Dei gratia vere sit Dei gloriæ fundamentum, medium et mensura, rectissime vox gloriæ usurpatur pro gratia: *gratia* enim est quædam gloria inchoata; sicuti *gloria* est gratia consummata.

Hæc gratia, sub nomine *gloriæ,* dicitur *magna,* quatuor rationibus:

1.° Quia gratia Redemptoris longe est pretiosior gratia Creatoris propter uberiores fructus qui ex ineffabilibus Christi meritis nobis provenerunt;

2.° Quia hæc gratia est, non tantum actualis, per quam omnia possumus in eo qui nos confortat, sed etiam habitualis, per quam Filii Dei nominamur et sumus.

3.° Quia per hanc gratiam Deus fuit maxime glorificatus, et plusquam antea semper erit glorificandus:

4.° Quia per hanc gratiam ad æternam gloriam deducimur potioribus titulis inter Sanctos et Angelos annumerandi.

Ad uberiorem vero hujus quæstionis solutionem, nos non piget addere quod

verba *propter magnam gloriam tuam,* rectissime accipi possunt etiam in sensu omnino literali, scilicet in significatu *gloriæ*. Et ratio est quia, per divini Verbi Incarnationem a Deo Patre decretam, et, Spiritu Sancto cooperante, a Divino Unigenito in actum deductam, nova, et quidem vere *magna,* profecta est *gloria;* tum ex parte hominum, tum etiam ex parte Iesu Christi.

1. *Ex parte hominum,* quia supremæ dilectioni, Deo Patri jam debitæ, novis nexibus omnes homines devicti sunt propter novam divinæ misericordiæ ostensionem in æternæ eorum saluti efficaciter providendo.

2. *Ex parte Iesu Christi,* quia, per hypostaticam ejus divinæ cum nostra humana natura conjunctionem in unica Christi persona. Deo Patri tribui potuerunt, et de facto tributa sunt, adorationes et obsequia, divinæ majestatis undequaque dignissima; quod fieri numquam potuisset per quæcumque, etiam innumera et pissima, hominum simul et Angelorum obsequia et sacrificia. Homo-Deus tantum hoc facere potuit, et vere fecit.

III.° Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe.

Hìc verbum *Solus* alloquendo Dei Filium in carne natum, non excludit alias divinas personas, Patrem scilicet et Spiritum Sanctum; nam, de Christo, qua Deus, semper verum est quod de Trinitate dicitur in Apocalypsi; quod *hi tres unum sunt. Solus* ergo, hoc in casu, excludit tantum quidquid in creaturarum ordine non est Deus.

Christus vero merito dicitur *Solus Sanctus, Solus Dominus, Solus Altissimus* sequentibus rationibus:

1.° *Solus Sanctus,* quia inter Sanctos, Christus solus sanctus est per se, vi propriæ essentiæ, sanctitate scilicet sibi intrinseca, nec ab alio mutuata.

2.° *Solus Dominus,* quia Christus solus proprio sanguine totius humani generis novum universale et perpetuum dominium acquisivit.

3.° *Solus Altissimus,* idest excelsissimus, quia, merito suæ demissionis et humilitatis, exaltatus est super omnes cælos et super omnia; Eique soli Nomen datum est super omne nomen, in quo tantummodo salvum esse potest quod perierat.

QUÆSTIO VI.

Quibus rationibus defendi possint in Missa ambrosiana vox Ingressa *ad indicandum Missæ initium, nec non sequentes locutiones in* Offertorio, *scilicet:*

1.° Panem Sanctum *super hostiam in actu Oblationis, dum per oblationem tantum jam peractam communis panis sanctificatur.*

2.° Quorum, quarumque eleemosynas suscepimus: *in casu quo celebrans a nemine acceperit Missæ stipendium?*

3.° Sanctorum, quorum hodie memoriam facimus: *quando, ut in diebus Dominicis, nullius Sancti festum peragitur?*

Ad Primum. Quibus rationibus defendi possit in Missa ambrosiana Vox Ingressa ad indicandum Missæ initium.

Cum rerum tituli ordinarie instituantur postquam res ipsæ fuerint invectæ; et progressu temporis tantum, ad populi commodum, breviori qua potest locutione, communiter indicari soleant; ita, etiamsi vox *Ingressa* non conveniat nisi participio verbi *Ingredior*, adhibita est tamquam substantivum significans Missæ principium, ex eo quia hæc vox jam adhibita fuerit in Rubrica Missæ initium spectanti. Recte enim supponere licet quod in libris liturgicis antiquitus legeretur: *Antiphona canenda cum ingressa fuerit plebs templum:* aut brevius *Ingressa plebe templum.* Hinc, progressu temporis, ad breviorem reddendam locutionem, omissis concomitantibus vocibus, retenta est simpliciter vox *Ingressa*, uti in romanis missalibus retenta est vox *Introitus*, ubi supponi debet antiquitus extitisse locutionem: *Antiphona canenda ad introitum populi in templum*, vel *tempore introitus in templum*, vel *introitus in Missam*, sicuti Cicero, in suis Epistolis 15 et 16

ad Atticum, usus est locutione *Introitus ad causam*, ad significandum *causæ initium et exordium*. Hinc, recte Macri, in suo Hierolexicon habet: *Introitus dicitur* quia canitur dum celebraturus sacerdos ingreditur ad altare: ideoque, rectissime in ritu Ambrosiano denominatur *Ingressa* quod est Missæ initium, ea ipsa ratione qua in ritu romano Missæ initium dicitur *Introitus*. Ambo enim significant Antiphonas quæ, introeunte populo in Basilicam decantabantur, earumque cantio protendebatur quousque imperturbato ordine, tam Pontifex, quam cæteri ecclesiastici ordines, secundum suam quisque dignitatem, ingrederentur ecclesiam, et congruam susciperent stationem.

Ad Secundum. = QUIBUS RATIONIBUS DEFENDI POSSINT LOCUTIONES IN OFFERTORIO.

1.° Panem Sanctum SUPER HOSTIAM IN ACTU OBLATIONIS, DUM PER OBLATIONEM TANTUM JAM PERACTAM COMMUNIS PANIS SANCTIFICATUR?

2.° Quorum, quarumque eleemosynas suscepimus IN CASU QUO CELEBRANS A NEMINE ACCEPERIT MISSÆ STIPENDIUM?

3.° Sanctorum quorum hodie memoriam facimus, QUANDO, UTI DIEBUS DOMINICIS, NULLIUS SANCTI FESTUM PERAGITUR?

I. Panem Sanctum.

Panis hostiæ ad sacrificium ordinatæ, jure et merito vocatur *sanctus* in actu primæ suæ oblationis, sequentibus rationibus:

1.°Quia, docente Ulpiano in suo opere *de verborum significatione, Sanctum dicitur quod neque sacrum est, neque profanum, sed sanctione aliqua firmatur*, ut sunt leges, quia sanctione quadam subnixæ sunt; ita muri et portæ civitatis dicuntur sanctæ a verbo *Sancire* quia legibus cautum est ne cui ascendere aut diruere, aut inhabitare liceat. Iam modo Hostia in altari posita ut divino sacrificio inserviat, si in communi vulgari sensu non est dicenda sancta ante eius consecrationem, non potest dici profana, cum in celebrantis intentione ipsa sit jam ordinata ad hoc ut evadat excellentissime sanctam, immo Sanctum sanctorum per ejus transsubstantiationem in vivum et gloriosum Christi Corpus.

2.° Quia, cum Hostia ad sacrificium ordinata, juxta liturgicas leges, ferre debeat in sua superficie insculptam Crucifixi, vel Iesu Nominis imaginem, ita jure et merito dici potest sancta: nam hoc sufficeret ad panem altaris distinguendum a communi pane, sicuti sacra imago in charta impressa sufficit ut hæc charta a communi papyro sit distinguenda, et tamquam sancta, quodam religioso cultu non immerito prosequenda.

II.° Quorum quarumque eleemosynas suscepimus.

Etiamsi pro Missa quæ actu celebratur nullum speciale acceptum fuerit stipendium, merito semper qui celebrat dicere potest in Missæ precibus *Quorum quarumque eleemosynas suscepimus*. Et ratio hæc est.

Cum nullus sit sacerdos qui ex ære ecclesiastico, idest ex fidelium eleemosynis Ecclesiæ factis, congruam non habeat sibi assignatam sustentationem, vel per sibi collatum Beneficium aut Legatum si Clero sæculari adscriptus, vel per eleemosynas, sive de die in diem collatas, sive ex piis fundationibus suppeditatas si Regulari cætui adscitus, ita semper recte dici potest quod Celebrans eleemosynas a fidelibus susceperit: ideoque æquum et justum est ut in quacumque Missa pro piis fundatoribus fundantur preces; hoc enim stricte exigit, tum christiana charitas, tum grati animi munus, tum constans praxis Ecclesiæ quæ in sacris officiis nunquam destitit piissimam Dei misericordiam pro suis benefactoribus exorare.

III.° Sanctorum quorum hodie memoriam facimus.

In diebus etiam in quibus nullum officium fit de Sanctis, rectissime dicitur in Missæ precibus *Sanctorum quorum hodie memoriam facimus*. Hoc enim non repugnat veritati dummodo attendatur ad tres sequentes animadversiones.

1.° Etiam in diebus in quibus, juxta celebrantis Kalendarium, nullum fit officium de Sanctis, ut in Dominicis, Feriis et Vigiliis, fieri potest, et sæpe fieri debet, Commemoratio Sanctorum non solemnium, quando dies ipsis assignata concurrat cum Officio vel Dominicali, vel Feriali.

2.° Etiamsi in Ecclesia ubi nos Missam celebramus de nullo Sancto fiat officium, semper verum est quod de aliquo Sancto fieri potest memoria si de hoc faciendo occurrat specialis ratio.

3.° Locutio de qua loquimur referri potest et debet, non taxative ad Ecclesiam in qua nostra Missa celebratur, sed generice ad omnes mundi Ecclesias in quibus de pluribus Sanctis nostro Kalendario omnino extraneis, et fieri debet, et vere fit, specialis et etiam solemnis memoria; uti evidentissime patet ex Romano Martyrologio, ubi quotidie recensentur loca in quibus nonnullorum Sanctorum specialis recolitur memoria, et sæpe solemnissimum agitur festum.

QUÆSTIO VII.

1.° *Cur Deum, quem in Oratione Dominica vocamus* Patrem, *in successiva deprecatione appellamus* Dominum, *dicendo:* Libera nos, quæsumus, Domine?

2.° *Quid intelligitur per* mala præterita, præsentia et futura, *quibus petimus liberari?*

3.° *Cur inter Sanctos quorum in* Libera nos etc. *imploramus suffragia, nominantur specialiter B. Virgo, SS. Apostoli Petrus et Paulus, S. Andreas et S. Ambrosius?*

Ad Primum. = CUR DEUM, QUEM IN ORATIONE DOMINICA VOCAMUS Patrem, IN SUCCESSIVA DEPRECATIONE APPELLAMUS Dominum, DICENDO: Libera nos, quæsumus, Domine?

In Oratione Dominica Deum vocamus *Patrem* quia, verba ipsa repetendo quibus ipse Dominus Noster Jesus Christus suis asseclis præcepit uti in orando, nemini licet, etiam in minimis, verba immutare, idque eo magis quia, cum ex specialissima Christi gratia, Redemptionis filios voluit Dei Filios nominari et vere fieri, non ex nostra præsumptione, sed ex divini Magistri præcepto, Deum vocamus *Patrem*; ideoque huic voci præmittitur preambula locutio: Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere, *Pater noster.*

In successiva vero deprecatione *Libera nos, quæsumus etc.* cum verba adhibeantur ab hominum devotione conflata, Deum ipsum appellamus *Dominum*, ut solemniter profiteamur quod, si Dei gratia dici possumus Dei Filii, nos, natura nostra, non aliter dici possumus, quam, humillimi Dei servuli.

Ad Secundum = QUID INTELLIGITUR, PER mala præterita, præsentia et futura quibus PETIMUS LIBERARI?

1.° Per *mala præterita* intelliguntur culpæ quarum adhuc timemus reatum. Et bene ab iis petimus liberari, juxta Scripturam dicentem: *Fili, peccasti? Ne adjicias iterum, sed de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur* (Eccli 21. 1.

2.° Per *mala præsentia,* intelliguntur peccata ignota in quorum affectu possumus esse, et cum quibus adhuc luctamur, nec non miseriæ ex peccatis ortæ quibus affligimur. Hoc enim intellexit Regius Psaltes quando dixit *Ab occultis meis munda me, Domine etc.*

3.° Per mala *futura* intelliguntur peccata quorum imminent pericula, nec non eorum simul et præcedentium supplicia, et quæcumque nobis accidere possent saluti et paci contraria.

Ad Tertium = Cur inter Sanctos quorum in Libera nos, etc. implora-mus suffragia, nominantur speciatim B. Virgo, SS. Apostoli Petrus et Paulus, S. Andrea, et S. Ambrosius?

Rationes quibus B. Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Andreæ, et S. Ambrosii, in *Libera nos, etc.* invocantur suffragia, sunt quæ sequntur. Invocatur:

1.° B. Virgo Maria, quia ipsa est omnium Sanctorum excellentissima, ejusque animam pertransivit gladius dum stetit juxta Christi Crucem: Hinc, Sanctorum omnium ipsa est opportunissima ad specialissimum Dei auxilium nobis impetrandum, cum, ex omnium Patrum sententia, et præsertim SS. Petri Da-Bernardi Bonaventuræ et Alfonsi Liguori, poetica emphasi de ea prædicetur: *Quod natura Deus, tu prece, Virgo, potes.*

2.° S. Petrus Apostolorum princeps, quia, utpote Christi Vicarius, pro ejusdem confessione crucifixus, cui a Christo Domino regni cælorum claves ita traditæ sunt ut omnia quæ solverit in terra soluta sint et in cælo, recte supponitur impensius præ cæteris Sanctis pro nobis deprecari.

3.° S. Paulus, quia Vas electionis et Gentium doctor, plus omnibus laboravit, et Christi stigmata in suo corpore portavit: Hinc, merito putandum est ipsum præ pluribus aliis Sanctis posse efficacius suis precibus nobis suffragari.

4.° S. Andreas, quia primus vocatione inter omnes apostolos, fratrem Petrum ad Christum adduxit, et crucis, cujus mysterium in Missa renovatur, desiderantissimus præ omnibus fuit, et in eadem mortuus est.

5.° S. Ambrosius, quia, utpote mediolanensis Ecclesiæ Pater et Patronus præ omnibus amantissimus, cujus sollicitudine et doctrina christiana, dogmata integra nobis pervenerunt, jure et merito tenendum est quod de domesticis ejus fidei tanto magis curam habeat in cælo, quanto impensius eorum utilitati semper studuit in terris.

QUÆSTIO VIII.

Quid notandum.

1.° *Circa frequentem Pacis enunciationem in Missa?*
2.° *Circa modum dandi populo Benedictionem?*
3.° *Circa ritus servandos in ultimo Missæ Evangelio?*
4.° *Circa modum se gerendi a fine Missæ usque ad Vestium depositionem in sacristia?*

Ad Primum = Quid notandum circa frequentem Pacis enunciationem in Missa?

Ad hujus primæ quæstionis solutionem circa Pacis enunciationem in Missa, duo sunt distincte examinanda; scilicet 1.° Quare tam frequens sit in Missa Pacis enunciatio: 2.° Quo in sensu accipienda sit Pacis locutio juxta speciales Missæ partes in quibus de Pace fit mentio. Sit ergo:

I. Quare tam frequens sit in Missa Pacis enunciatio?

Si nihil frequentius Pacis enunciatione habetur in Missa, hoc est petendum a singularissima Pacis præstantia, quia ipsa habenda est tamquam omnis piæ actionis perfectio, Dei in nobis manentis testimonium, ac vitæ cœlestis quidam prægustus.

Et revera: Ecclesia per Spiritum Sanctum edocta, et Sacræ Scripturæ, in quibus semper est reverenda immediata Dei revelatio, præ omnibus virtutibus et spiritualibus bonis, Pacem inculcant ut Deo gratissimam et hominibus perutilem. Unde illud Ps. 75, *Factus est in pace locus ejus;* = 2.° ad Corinth. 13: *Pacem habete, et Deus pacis erit vobiscum;* = Ad Hebr. 12; *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* = Christus quoque *Princeps pacis* appellatus ab Isaia cap. 9, = veniens in mundum pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiari jussit, = et inde discedens, discipulos consolando ait: *Pacem relinquo vobis; Pacem meam do vobis;* et vix-

dum resurgens: *Pax vobis,* ait; quam et tanti fecit, ut fraternam reconciliationem suo sacrificio præferri jusserit: = Math. 5, et Ps. 33. Hac ratione demum ostendit Spiritus Sanctus neminem ad vitam et dies bonos perventurum nisi pacem inquirat, et eam prosequatur.

II. Quo in sensu accipienda sit Pacis locutio juxta speciales Missæ partes in quibus de Pace fit mentio.

1.° Si in ritu ambrosiano, dicta antiphona post Evangelium, dicitur: *Pacem habete*; cui respondet minister *Habemus ad Dominum*, hoc fit ut fideliter obtemperetur mandato Jesu Christi dicentis: *Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* (Math. 5. 24). Deus enim semper rejicit oblationem illorum qui pacem non habent cum proximo.

II.° Si in Canone rogatur Deus ut Ecclesiam pacificare, custodire, adunare et regere dignetur, hisce verbis petitur:

1. Ut Ecclesia, et intus idest inter catholicos Principes pace gaudeat, et foris idest ab hæreticis, schismaticis et infidelibus non molestetur, nec ulla adversitate et persecutione ejus tranquillitas perturbetur.

2.° Ut in omni loco, ad quem propagata fuerit, feliciter persistat.

3.° Ut omnium fidelium mentes, per unitatem fidei, spei et charitatis, unius efficiantur voluntatis, et multitudinis credentium sit cor unum.

4.° Ut Deus Superioribus et Rectoribus Ecclesiæ suæ recta semper inspiret decreta, viresque præbeat quæ occurrunt ut quod bene constitutum est, fideliter executioni mandetur.

III.° Si ante consecrationem dicitur *Quæsumus, Domine, ut nostram Oblationem placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas:* notare occurrit quod hæc petitio, ut in S. Gregorii vita asserit Joannes Diaconus, addita est a divo Gregorio Magno occasione pestis et bellorum quibus tota Italia vastabatur. Signanter additum est *tua*, dicit Oddo, ad distinctionem pacis mundi, quæ solam habet pacis apparentiam, nunquam vero realitatem. Sensus igitur dictorum verborum est: Oramus in hac vita liberari ab omnibus quæ conscientiam nostram quoquo modo inquietam reddere, et nos extra Dei amicitiam ponere possent.

IV.° Si in deprecatione *Libera nos*, quæ Dominicali Orationi immediate succedit, sacerdos dicit *Da propitius pacem*, duo ad rem sunt notanda:

1.° Quod Deo dicitur *Da propitius pacem,* quia non est cur pacem expectemus nisi propitiatione sua Deus erga nos utatur.

2.° Quod hæc locutio respicit ad duplicem pacem, nempe animæ et corporis, quam explicant sequentia verba *ut a peccato simus liberi* (quod fit per pacem animæ) *et ab omni peturbatione securi,* (quod fit per pacem corporis.) Eandem duplicem pacem orat Ecclesia sibi dari cum dicit *Da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.*

V.° Si in conclusione deprecationis *Libera nos, etc.* dicitur *Pax et communicatio Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum*, duo ad rem sunt notanda:

1.° Quod hoc dicitur ad significandum quod pax quæ omni tempore, omnique circumstantia nobis est acquirenda, ratione longe majori curanda semper est in sumptione SS. Eucharistiæ, quæ idcirco etiam *synaxis* dicitur, quia perficitur ex materia quæ ex multis rebus antea diversis, idest ex pluribus uvæ acinis et ex pluribus tritici granis, in unum coalescit.

2.° Quod pax quam sacerdos hic petit sibi et aliis, triplex semper esse debet, scilicet: I.° *Pax hominis cum Deo*, quæ consistit in ordinata hominis ad Deum obedientia. 2.° *Pax hominis ad seipsum*, consistens in ordinata cogitationis et actionis concordia, qua quod recta ratio dictat, efficaciter voluntas imperet. 3.° *Pax hominis ad proximum suum*, quæ consistit in ordinata cum omni homine concordia, ut scilicet, nulli noceat, et cui potest libentissime prosit.

VI.° Si ante orationes quæ communionem immediate præcedunt, ritu ambrosiano dicitur *Offerte vobis pacem,* et in utroque ritu, post primam ora-

tionem quando solemnis sit Missa, pax dispensatur, hoc fit ut omnes edoceantur fideles de strictissimo eorum munere pacem habendi cum omnibus fratribus ut digne de Missæ fructibus possint omnes participare.

Circa hanc Pacis distributionem duo occurrunt notanda:

1.° Quod si olim omnes Missæ assistentes se invicem salutabant in osculo sancto, progressu temporis hæc praxis sapientissime abolita fuit ab Ecclesia ne minimum, etiam minus honestæ delectationis, periculum adesset ubi maxima esse debet et cordis et corporis mundities. Hinc, loco personalis osculi, invecta est sacra pacis tabella quæ sæcularibus porrigitur osculanda dum dicitur *Pax tecum*, cui subjungitur ab accipiente *et cum spiritu tuo*. Hoc ipsum quoque in multis locis non amplius servatur propter disputationes quæ circa ordinem osculationis, cum non levi fidelium scandalo, non semel acciderunt.

2.° Quod pacis distributio locum non habet in Missis pro Defunctis quia ipsi jam dormiunt in somno pacis, et extra periculum inimicitiæ Dei, vel secum, vel cum proximo jam sunt feliciter constituti. Attamen, quia versantur in pœnis, æternam eis precamur requiem.

Ad Secundum = Quid notandum circa modum dandi populo benedictionem?

Circa modum dandi populo Benedictionem quinque occurrunt notanda, scilicet: 1.° Quæ sunt Benedictioni præmittenda; 2.° Quomodo Benedictio sit impertienda; 3.° Cur in fine Missæ datur populo Benedictio; 4.° Cur in Missa pro defunctis omittitur Benedictio; 5.° Varianda in Benedictione quando adsit Papa, aut Prælatus.

I°. Quæ sunt Benedictioni præmittenda.

Dicto *Placeat*, sacerdos, extensis manibus hinc et inde super altare positis, ipsum altare in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans erectus versus illud, elevat ad cœlum oculos, idest ad crucifixi imaginem, et manus usque ad humeros, easque in circulum statim jungens eo modo quo fit ad *Gloria in excelsis*, caputque cruci inclinans, vel genuflectens, si in tabernaculo adsit SS. Sacramentum, dicit voce clara ordinaria *Benedicat vos omnipotens Deus:* quibus verbis prolatis, junctis manibus, et dimissis ad terram oculis, statim vertit se ad populum a sinistro latere ad dexterum.

II.° Quomodo danda sit populo Benedictio.

Sacerdos, conversus ad populum, posita sinistra manu super pectus, manu dextera cum digitis unitis benedicit populo, unicum producendo signum crucis, ad differentiam Episcopi qui ter benedicit. Sed in Benedictione impertienda ita voces distribuat ut efformet primam lineam rectam manum attollendo ad frontem, eamque deprimendo usque ad pectus, dicens *Pater* in initio, et *Filius* in termino; secundam autem transversam, quæ formatur ab humero sinistro ad dexterum, pronunciando *Et Spiritus Sanctus*. Hæc linea transversa facienda est manu recta eo modo quo super Eucharistiæ sacramento formatur crux. Fuerunt olim, ut refert Durandus, qui, duobus digitis conjunctis, crucem exprimebant ut indicarent duas in unica Christi persona naturas, contra Monophysitas qui, ut unicam in Christo docerent naturam, uno digito crucem formabant. Prædicta praxis fuit aliquando communis etiam inter fratres Prædicatores in formandis signis super oblata: in eorum enim Ordinario præscriptum legitur: *Faciat crucem cum duobus digitis, ita quod index sit desuper et medius alter.*

Alii vero tribus digitis hæc signa exprimebant, quod, signanter super oblata, fieri olim consuevisse in Ecclesia Romana colligitur ex Innocentio III de Missæ mysteriis. Ritus hujus ratio fortasse erat ut SS. Trinitatis mentio fieret. Nunc autem ubique obtinet ritus populum in Missa benedicendi manu dextera, digitis omnibus æque extensis et unitis.

III.° Cur in fine Missæ datur populo Benedictio?

Antiquitus in fine Missæ nulla dabatur populo Benedictio ex eo quia sacramentorum confectioni tunc temporis non intererant nisi illi qui in Missa

communicabantur, et oratione post communionem, quæ pro communicantibus est instituta, putabatur populi desiderio satisfieri absque ulla benedictione. Cum autem populus communicare cessaret, nec tamen a divinis officiis se subtraheret, necessario permissum est ut populus a sacerdote beneditceretur, ne, tam Benedictione quam Comunione privatus, discedere videretur. Ut vero Benedictio quæ danda est populo antequam a Missa discedat efficacior evaderet, statutum est hoc fieri debere cum signo crucis ut omnes moneantur quod nos gloriari semper oportet in cruce Domini Nostri Jesu Christi in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. Typum hujus Benedictionis in Testamento veteri gesserunt benedictiones sacerdotum quibus Deus imperavit ut populo bene precarentur (Num. 6), quarum ista est forma *Benedicat tibi Dominus, et custodiat te.* Et (*Levit.*) completis hostiis, *extendens Aaron manus ad populum, benedixit, ei.* Actualis celebrantis Benedictio a Liturgicis refertur ad eam quam Christus Dominus in cælum ascendens suis Apostolis impertivit. Hinc est quod celebrans, in hac Benedictione impertienda, summa debeat gravitate se gerere, reminiscens quod hic agit tamquam si esset ipsius Domini manus super populum elevata ad eum benedicendum.

IV. Cur in Missa pro Defunctis omittitur Benedictio?

In Missa pro Defunctis Benedictio populi omittitur duabus sequentibus rationibus:

1.° Quia in Missa pro Defunctis, luctus causa, omittuntur omnes lætæ solemnitates quæ pro Vivis fieri solent. Gaudium enim luctui non debet admisceri.

2.° Cum per Benedictionem populus excitetur ad benedicendum Deum pro gratiis quas celebrantis ministerio in Missæ assistentia percepit, ad hoc nequeunt excitari Defuncti, utpote absentes, etiamsi possint et debeant nostris suffragiis adjuvari.

V. Quæ sint varianda in ritu Benedictionis quando Missæ adsit Papa, Cardinalis, aut Episcopus.

Sacerdos, si celebrat coram Summo Pontefice, Cardinali, Legatis Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha aut Episcopo in sua civitate vel diœcesi, etiam in Ecclesiis Regularium et privilegiatis, sive Archiepiscopo in sua provincia, dicto *Placeat* etc, dicet *Benedicat vos omnipotens Deus:* postea convertit se ad Summum Pontificem, si coram eo celebravit, et genuflexus petit licentiam benedicendi; tum surget et prosequetur dicens *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*, dextera benedicens adstantes, non tamen in medio ubi est Pontifex, sed versus partem Evangelii; quod, si versus illam esset Pontifex (qui tamen regulariter medium locum occupare debet) tunc versus illam partem benedicat, intentionem suam ad alios alibi existentes dirigens. Si autem coram Cardinali, vel alio ex Prælatis supranominatis celebraverit, tunc eodem modo dat Benedictionem ac si celebrans esset coram summo Pontifice, non tamen genuflectit, sed inclinatus profunde, quasi licentiam petit ut det Benedictionem. Sed, ut circa hoc aliquam universalem regulam tradamus, adnotandum est quod, in ordine ad Prælatos, quando ipsis competit Evangelium osculari, est etiam coram eis facienda confessio in cornu Evangelii; et hoc, quoad summum Pontificem et Cardinales semper et ubique est observandum. Quo vero ad alios Prælatos, si sint extra suam civitatem, provinciam, vel diœcesim, fiat ut moris est, nullo in hoc habito eorum respectu, ac si præsentes non essent.

Ad Tertium = Quid notandum circa ritus servandos in ultimo Missæ Evangelio?

Circa ultimum Missæ Evangelium duo præcipue sunt notanda, scilicet, 1.° quo ritu sit procedendum in hujus Evangelii recitatione: 2.° qua ratione statutum sit ut pro ultimo Missæ Evangelio non aliud ordinarie legatur quam Initium S. Evangelii secundum Joannem.

I. Quo ritu sit procedendum in ultimo Missæ Evangelio.

Data populo Benedictione, sacerdos, perficiens circulum, accedit ad cornu Evangelii manibus ante pectus junctis de more, ubi, intelligibili voce, facie cornu Evangelii respiciente, dicit *Dominus vobiscum*, cui, eadem clara voce ordinaria, respondet Minister *Et cum spiritu tuo:* Tum sacerdos, sinistra extensa super altare, eodem tempore quo dicit *Initium sancti Evangelii secundum Joannem,* pollice dextero signat primo librum aut tabellam Evangelii, aut altare, si nec liber, nec tabella adsit; dummodo non sit expositum SS. Sacramentum.

Signato libro, seu altari, deposita manu sinistra infra pectus, summitate pollicis dexteri digiti, et extensa totaliter dextera manu, junctis quatuor reliquis digitis, format signum crucis primum in fronte, secundum in ore, tertium in pectore, et non ex parte in qua vulgo indicatur cor collocari, uti improprie faciunt multi. Has easdem cruces format in fronte, ore et pectore Minister, idemque præstant etiam circumstantes. Post quam sacerdos dixerit *Initium*, vel *Sequentia* etc minister respondet *Gloria tibi, Domine*: deinde sacerdos legit Evangelium. Cum autem pervenerit ad verba *et Verbum caro factum est*, manibus hinc inde positis super altare, genuflectit unico tantum genu, versus altare, idest versus cornu Evangelii, et minister quoque genuflectit unico genu in suo loco, facie ad altare conversa: Ac mox surgens sacerdos, stans manibus junctis, Evangelium prosequitur eadem voce, eodemque corporis habitu.

Terminato Evangelio, sacerdos non osculatur librum, nec tabellam si iis usus est, nec altare. In fine prædicti Evangelii, minister, voce alta et ordinaria, respondet *Deo gratias.*

II. Cur in fine Missæ recitari soleat initium Evangelii S. Joannis.

Præmisso quod usque ad ultimam Missalis reformationem per S. Pium V peractam anno 1570, in fine Missæ legi solebat Evangelium: *Loquente Iesu ad turbas, etc.,* ejusque loco S. Pius V præscripsit ut in omnibus Missis legeretur Evangelium S. Joannis cujus est initium: *In principio erat Verbum, etc.,* propositæ quæstioni respondetur quod hoc factum est tribus sequentibus rationibus, scilicet.

1.° Ut grati agnoscamus quantus sit Ille quem sub vili specie Panis et Vini mox accepimus, videlicet Verbum æternum Dei Patris per quod omnia facta sunt.

2.° Ut consideremus quod hoc Verbum caro factum sit, non simpliciter tantum ut habitaret nobiscum, sed etiam ut per sacram Eucharistiam habitaret in nobis plenum gratia et veritate, et sic de plenitudine ejus acciperemus omnes.

3.° Ut inculcetur fructus ex digna ejus sumptione proveniens, scilicet potestas ut Dei Filii simus, nimirum, jam non tantum spiritu Dei imbuti, sed et Unigenito ejus Filio incorporati et conjuncti.

Ad Quartum — QUID NOTANDUM CIRCA MODUM SE GERENDI A FINE MISSÆ USQUE AD VESTIUM DEPOSITIONEM IN SACRISTIA.

Celebrans, finito ultimo Evangelio, junctis manibus, accedit ad medium altaris. Ibi, junctis adhuc manibus, caput cruci profunde inclinat; postea revolvit partem anteriorem veli calicis super bursam. Hoc enim faciendum ex præcepto uti notatum est ab Editor. Curial. Act. Med. Eccl. anno 1846, qui, commentando rubricarum ambrosianarum verba *qua* (bursa), *posita super calicem, ipsum collocat in medio super altare;* UT PRIUS; addidit in calce libri, *idest velo omnino coopertum,* ut decrevit etiam S. R. C. N. 3310 ad. 1. Deinde, sinistra accipit calicem ad nodum, et omnibus digitis extensis et junctis, dexteram ponit super bursam ne aliquid decidat. Tum aliquantulum retrahens se versus cornu Evangelii, vertit se per latus suum dexterum, idest facie conversa versus cornu Epistolæ, et descendit per gradus altaris tali modo ut non vertat directe terga cruci; caveatque dum descendit ne conculcando albæ fimbrias se confundat, et sibi, vel saltem calici, periculum aliquod immineat. Et cum fuerit in plano cappellæ, se vertit ad altare per suam partem dexteram, et

caput tantummodo, non autem corpus, profunde inclinat, vel, si in eo sit tabernaculum cum SS. Sacramento, genuflectit unico genu. Facta hac reverentia, dextera a calice remota, digitis medio et indice dexteræ manus, dexterum birreti cornu elevatum accipit a ministro, qui illum porrigit manu, nunquam vero ex Missali, et caput cooperit, cavens ne aliquid a calice decidat. Quæ omnia, si dici nequeunt præceptive singillatim jussa per Rubricas, tenenda sunt ex doctrina Rubricarum interpretum qui maxima gaudent apud theologos æstimatione. Hinc, reposita dextera super bursam, præcedente ministro, eo modo quo venerit, capite cooperto, redit ad sacristiam, recitans secreto psalmum *Benedicite*, vel *Te Deum*.

Si in via obviam ei fit alius sacerdos paratus, invicem se consalutent cooperto capite, et procedat unusquisque per partem suam dexteram. Quod si duo, vel plures, ad eundem locum accedunt, idest ad sacristiam, tunc dignior præcedat.

Si vero transierit ante altare, reverentiæ distingui possunt tripliciter: idest. 1.° *Ratione SS. Sacramenti.* 1.° Sacerdos enim transiens ante tabernaculum clausum SS. Sacramentum actualiter continens, unico genu flectere debet: 2.° Ante tabernaculum vel altare in quo SS. Sacramentum est expositum in pixide tantum, vel ante mensam in qua Sacra Communio distribuitur, genuflectere debet utroque genu in romano ritu, unico genu in ambrosiano, sed statim surgere, neque enim causa distributionis SS. Comunionis debet permanere genuflexus donec terminetur distributio, sed post genuflexionem mox surgere et procedere, juxta decr. S. R. C. 5 Julii 1698. 3.° Si obviet sacerdoti SS. Sacramentum deferenti utroque genu flectere debet donec ille ex ejus conspectu, vel quasi e conspectu, transierit.

2.° *Ratione Altaris:* 1.° Ante altare majus, vel specialissimæ devotionis, caput profunde est inclinandum. Si autem sit altare minus et commune, nulla reverentia illi est facienda. 2.° Si vero in altari, quocumque sit, celebretur Missa, hoc est tenendum. Inter consecrationem et communionem, unico genu est flectendum, et statim procedendum. Durante consecratione, utroque genu est flectendum donec celebrans calicem deposuerit super corporale: 3.° Denique, ante consecrationem, et post communionem, nulla reverentia est facienda nisi sit altare majus, vel specialis venerationis.

3.° *Rationem Reliquiæ:* Nam. 1.° Si Reliquia sit SS. Crucis vel alii Dominicæ Passionis instrumenti, et loco principali super altare exposita, unico genuflecti debet; solum vero caput inclinandum si sit recondita intra custodiam; 2.° Ante alias Sanctorum Reliquias, etiam expositas, specialis reverentia non est facienda, nisi sit Reliquia insignis, cui convenit caput inclinare.

Redux ad sacristiam, calicem adhuc tenens, et tecto capite, facit Cruci, vel Iconi principali, debitam capitis inclinationem; deinde deponit prius calicem, dein biretum. Vestes exuit ordine retrogrado quo eas induit, osculans crucem Manipuli, Stolæ et Amictus, etiamsi paramenta sint nigra, et Missa celebrata fuerit pro Defunctis.

Depositis vestibus, calicem quoque exuit, et purificatorium extensum appendit, ut siccetur; advertendo quod, in exuenda alba, cavendum est ne ipsa extrahatur a parte superiori super caput, sed prius eam sacerdos dimoveat a brachio sinistro, inde a capite, et denique a manica dextera.

Si vero sacerdos, ob sacristiæ defectum, dimissurus sit paramenta ad altare in quo celebravit, vel alio congruenti loco, tunc, finito ultimo Evangelio, accedit ad medium altaris, et ibi facta reverentia Cruci, postea iterum redit ad cornu Evangelii, ubi deponit paramenta super tabulam ibi paratam, vel ea deficiente; super altare, numquam vero in altaris medio, cum hoc sit Episcopo tantum reservatum.

Depositis sacris vestibus, celebrans lavat manus, quod tamen fit, non ad tollendam aliquam maculam, quia potius ex sacramenti contactu novum quoddam sacrum manibus celebrantis adhæret, sed potius fit ad deponendum illud esse sacrum prius quam sacerdos res profanas manibus contrectet. Ablutio tamen manuum in honesto loco projici deberet ad majorem sacramenti reverentiam.

Deinde decet ut sacerdos reliquas orationes in Missali pro gratiarum actione positas recitet, vel saltem alias preces, vel meditationem instituat.

Ad rem vero rectissime notatur a Liturgistis quod, post peracta divina mysteria, sacerdos quartam circiter horæ partem perduret in sacristia, vel Ecclesia, pie orando ut debitas Deo gratias agat, ejusque auxilium sibi, suisque; enixe imploret antequam ab Ecclesia discedat.

QUÆSTIO IX.

1.° *Quænam sint notanda circa Urceolos in Missa adhibendos.*
2.° *Quænam Missalis origo, excellentia, necessitas;*
3.° *Quænam præ oculis sint habenda ad rectum et decorum Missalis usum.*

Ad Primum — QUÆNAM SINT NOTANDA CIRCA URCEOLOS IN MISSA ADHIBENDOS?

Circa Urceolos in Missa adhibendos, tria sunt notanda, idest 1.° quanam materia debeant esse confecti, 2.° quomodo eorum nitori sit consulendum, 3.° qualis esse debeat pelvicula in qua Urceoli sunt deponendi.

I. Quanam materia confecti esse debeant Urceoli in Missa adhibendi.

Urceoli qui ad sacrificii usum adhibentur, quo distinctius atque certius aqua a vino dignosci possit, confecti esse debent, non ex stamno, argento, aliove metalli genere, sed plane vitro, eoque perlucido, aut e cristallo; et per litteras, aut alias notas, diligenter distinguendus est urceolus vini ab urceolo aquæ; et ambo operculum oris habeant.

II. Quomodo Urceolorum nitori sit consulendum?

Urceoli, præter id quod quotidie fit ad eorum nitorem continuo curandum, singulis mensibus diligenter sunt purgandi adhibito ovorum cortice bene contrito, cum ligneolo aliquo instrumento ad sordiculas bene eluendas; aut vero alia ratione si quæ aptior inveniatur. Opercula Urceolorum, quotidie cum reponuntur, bene siccentur ne madeant. Tum etiam pelvis urceolorum abstergatur, sicceturque, si stamnea fuerit, tertio quoque mense lexivia ferventi lavetur, et arena, vel farre vestito, sive ovorum cortice bene contrito siccetur. Post, iterum aqua loti, in sole siccentur, et panno lineo mundo abstergantur.

III. Qualis esse debeat Urceolorum Pelvicula.

Pelvicula hamularum ex stamno britannico puriori sit, vel lato coquinari aut vitreo vase; pretiosior auro aut argento saltem, pro solemnioribus Missis, opere autem cælato piam speciem exprimente; fundo intrinsecus constet lato ac plano, neque elaborato, quo firmius Urceoli impositi hæreant.

Ad Secundum — QUÆNAM MISSALIS ORIGO, EXCELLENTIA, NECESSITAS?

I. MISSALIS ORIGO.

Ex traditione habetur, ut refert Baronius anno 102, Apostolorum principem præcipuarum latinæ liturgiæ rerum fuisse auctorem, successiveque ab ejus discipulo Papa Clemente in scriptis traditas, ita refert Proclus constantinopolitanus Episcopus, anno 447, qui tamen *Liber sacramentalis* a Lindano, *Liber mysteriorum* a Divo Hicrouymo (378, 420) *Liber sacramentorum* a Rhemensi Concilio (625): *Libellus* a Gregorio Turonensi (544 595) appellatur. Non est tamen prætereundum quod initio Ecclesiæ, Missa constabat tantum consecratione et oratione dominica, paucis præmissis psalmis et orationibus, paucisque additis hymnus ad debitas Deo gratias agendas, pro tanto peracto mysterio.

Progressu vero temporis, quando una, quando altera Missæ pars, vel a summis Pontificibus, vel a piissimis Ecclesiæ Patribus, addita fuit ut, et tanti sacrificii decor, et Fidelium participantium ædificatio semper in melius excresceret. Ecce enim a quo dictas Missæ additiones usque ad hodiernum complementum actas fuisse tradit cronologico ordine doctissimus card. Bellarminus.

1.° Ab Apostolis et Apostolorum successoribus addita sunt *Epistola* et *Evangelium*.

2.° *Canonis principium* additum fuit a *Clemente*, qui et dici jussit *Dominus vobiscum*. (91, 100).

3.° *Communicantes* additum fuisse fertur vel a *Lino* (67, 78), vel a *Siricio* (384 398).

4.° *Qui pridie*, usque ad verba consecrationis: *Unde et memores etc.* item aquam cum vino adhiberi, jussit *Alexander I* (111. 119).

5.° *Sanctus, Sanctus, Sanctus* introduxit *Sixtus I* (119, 129).

6.° *Hymnum angelicum*, saltem quoad prima evangelica verba, *Telesphorus* (127, 139.)

7.° *Orate fratres* tribuitur *Sotero* (168, 177), vel Leoni I (440, 441).

8.° *Confiteor* ante Missam præcepit *Pontianus (230, 255).*

9.° *Symbolum* post Evangelium addidit *Marcus* (336). Sed Symbolum quod hodie legitur decrevit *Damasus* (366, 384), qui et *Gloria Patri* in Missæ Introitu addidit.

10.° *Pax Domini* jussit *Innocentius I* (417).

11.° *Introitus* ex Psalmis, Tractus et Graduale *Cœlestinus I* (432).

12.° *Hanc igitur* etc. *Ite, Missa est, et Benedicamus Domino, Leo. I* (440, 461).

13.° Canonem ordinasse dicitur, Gradualia et Præfationem addidisse, *Gelasius* (492).

14.° *Kyrie eleison, Orationes, Alleluja, Offertorium, Communio*, etc. *Diesque nostros in tua pace disponas: Præceptis salutaribus moniti: Libera nos etc.* et tota Missa melius ordinata fuit a *Gregorio I* (590, 604).

15.° Agnus Dei a *Sergio* (687, 701.)

16.° Sequentia a *Nicolao I* (858, 867).

Alii SS. Patres alia Missæ addidere quæ a summis Pontificibus fuerunt inde approbata.

17.° *Benedictus qui venit in nomine Domini* invectum fuit a S. Ignatio (70, 107.

18.° *Domine, non sum dignus* tempore Origenis (185, 252).

19.° Finis hymni angelici ab Hilario pictaviensi (356, 368).

20.° Benedictio populi in fine Missæ ætate S. Hieronymi (329, 420).

21.° *Quod ore sumpsimus Domine* refert Opus liturgicum quod dicitur *Ordo Romanus*

22.° *Domine Jesu Christe, fili Dei vivi* etc ante Micrologum, idest sæculo XI

23.° Reliqua autem auctoritate Pii V sunt communita.

Prioribus Ecclesiæ sæculis tria erant volumina quæ in Missa adhibebantur: In uno enim legebantur Collectæ, Præfationes et Canon. In altero scripta erant Cantica quæ de more canenda erant in choro. In tertio denique extabant Lectiones, Epistolæ et Evangelia; et hoc tertium volumen appellabatur Missale plenum, sive completum. Hinc factum est ut Episcopi, vel Missalia componerent pro propria Diœcesi, vel Missalia ab aliis composita pro propria Ecclesia adoptarent. Historia enim nos docet quod hoc fecerit pro sua pictaviensi Ecclesia S. Hilarius sæculo IV, Voconius Mauritaniæ Episcopus, nec non, ex jussu suorum Episcoporum, Museus et Salvianus marsiliensis Ecclesiæ præsbyteri sæculo V. Exeunte vero sæculo VI Sanctus Gregorius Magnus, omnia quæ ad Missam spectabant meliori ordine disposuit, plura sapienter adjunxit, et in unicum volumen collegit, quod *Liber sacramentorum* appellavit.

Cum vero, tractu temporis, præsertim sæculis litterarum ignorantia lamentabilibus, plura privato arbitrio fuerint invecta, quæ, etsi fidei dogmatibus non repugnarent, vel ab antiquis ritibus plus minusve discrepabant, vel ab ecclesiastica gravitate dissentiebant, vel a sacri idiomatis puritate et elegantia, quoquo modo aberant, hisce omnibus inconvenientibus sapientissime occurrit Romanæ Ecclesiæ sollicitudo, præsertim per decreta sacri Tridentini Concilii, quibus statutum fuit omnia ritualia volumina attentissime esse revisenda, et diligentissime, ubi occurreret, emendanda, per Romanos Pontifices semper inerrantes totius Ecclesiæ magistros.

Tanto muneri non defuerunt, immo totis viribus incubuerunt præstantissimi Pontifices Pius IV et Pius V. Hinc arduum opus quod, dictante Pio IV, festinanter inceptum erat, felicissime fuit a S. Pio V. absolutum. Nam, si anno 1566 in lucem prodiit Cathechismus Romanus, et anno 1568 Romanum Breviarium, labente anno 1570, vulgatum fuit etiam Missale per quod præsbyteris omnibus strata est via undequaque secura ad sacra in altari digne semper peragenda.

II. Missalis excellentia.

Ad maximam Missalis excellentiam facile comperiendam, tria sunt animadvertenda, scilicet: 1.° Elementa quibus constat; 2.° Scriptores qui ad illud conficiendum adlaborarunt: 3.° Reverentia qua semper fuit et ubique est prosequendum.

1. Elementa quibus Missale constat.

Missale complectitur 1.° Præcipuas utriusque Testamenti partes in Lectionibus Epistolis et Evangeliis: 2.° Spectabilissimum Apostolorum, Romanorum Pontificum, nec non ss. Patrum opus ad dignam divini sacrificii celebrationem ubique curandam. 3.° Præfationes et Orationes, sive Collectas quibus ab Ecclesia a Spiritu Sancto indesinenter edocta, vel divinorum mysteriorum excellentia celebratur, vel Sanctorum virtutes et privilegia breviter concelebrantur, vel cujuscumque generis necessitates Domino commendantur; 4.° Cantica vel ex Psalmis, vel ex libris Sapientialibus opportunissime excerpta, tum ad delectationis et gaudii, tum ad mæstitiæ et contritionis ferventissimos sensus animo nostro infundendos. Hisce adde Liturgicas Rubricas in quibus minutatim describuntur omnes ceremoniæ in sacris ritibus diligenter explendæ; speciales ritus quibus ad majorem fidelium instructionem et ædificationem diversissimæ Ecclesiæ festivitates sunt celebrandæ, denique affectuosissimæ preces quæ pro sacerdotum opportunitate, tam ante quam post Missam sunt fundendæ.

2. Scriptores qui ad Missale conficiendum adlaborarunt.

Difficile est sibi fingi collectionem Doctorum tantis virtutibus præstantium quantas in illis fulgebant qui summorum Pontificum jussu ad perfectiorem Romani Missalis, aliorumque sacrorum voluminum confectionem, una simul impensissime adlaborarunt. Sacrarum enim doctrinarum omnium peritiam una cum ferventissima animi devotione tanta in illis omnibus admirabatur ut sacrorum sociorum oculis quasi miracula haberentur. En præcipua tantorum adlaborantium nomina. Ex Dominicanorum familia: *Egidius Foscherarius* bononiensis, qui, ad Mutinæ episcopatum evectus, obiit anno 1564; *Leonardus Marinus*, archiepiscopus lancianensis, et *Franciscus Forerius* lusitanus. Ex Teatinorum Congregatione: *Bernardinus Scotus* Sabinæ natus, cardinalis qui obiit anno 1568, et *Thomas Gulduelli* alsensis episcopus; Cardinalis *Guilelmus Sirletus* neapolitanus, cujus sapientiæ et probitati summus Pontifex Pius IV proprium nepotem Carolum Borromeum libentissime commendavit; *Gabriel Paleotto* bononiensis, quem Sixtus V sacrorum Rituum Congregationi adscisci voluit. *Julius Poggiani* Sunæ prope Pallantiam natus, novariensis, quem Cardinalis Borromeus inter suos familiares summopere dilexit, utpote omnigena doctrina et latinarum litterarum peritia præstantissimum; *Joannes Paulus Clerici* mediolanensis, sacrarum præsertim cæremoniarum ac rituum peritia celeberrimus, qui obiit anno 1605. *Petrus Galesinus* anconitanus, in sacra eruditione perillustris, qui obiit anno 1590. Ex tot doctissimorum hominum sapientia omni ex parte spectatissima feliciter prodierunt, uti adhuc extant. Cathechismus Romanus ad Parochos anno 1566, Romanum Breviarium anno 1568, et denique Romanum Missale anno 1570.

Quod vero spectat ad Missale Ambrosianum propter laudatissimas, tum divi Ambrosii, tum eius successorum, Præfationes pro omni Missa jam in tota Ecclesia admiratum, cujus emendationem mediolanensi Archiepiscopo et Cardinali Carolo Borromeo Romanus Pontifex omnino commiserat, quodque in lucem prodiit a Sancta Apostolica Sede summa cum laude adprobatum, sufficiat adnotare quod, ad illud bene emendandum divus Carolus usus est sapientissimo opere plurium doctissimorum hominum quorum jam recensuimus nomina, sed præsertim *Petri Galesini, Joannis Pauli Clerici, et Petri Bescapè* qui postea fuit insignis Novariæ Episcopus, totumque opus diligentissime revisit ipse divus Carolus, *cujus judicium*, ait Ciaconius tom. 3. pag. 682, *in omnibus ecclesiasticis rebus plures Cardinales sequebantur, quemque Pius V insigni prudentia et magnarum rerum usu præstantem diligebat, faciebat maximi, sapientique ejus consilio ad graviora negotia conficienda uti conseuevat; agnoverat enim illum integerrimum in rebus omnibus ministrum.*

3. Reverentia qua Missale ubique est prosequendum.

Cum Missale dici possit volumen omnino divinum, tum quoad elementa quibus constat, tum quoad auctoritatem et sapientiam illorum quorum ope confectum fuit, naturaliter consequitur quod summa reverentia illud sit semper prosequendum ut semper fuit in tota Ecclesia habitum. Hoc enim eruitur ex tribus sequentibus animadversionibus.

I.° Quod Missale habetur tamquam altare super quod, ex Ecclesiæ præcripto, ponenda est manus ad solemnia juramenta præstanda, tum quando de gravissimi facti certitudine veritas est solemniter inquirenda, tum quando de gravissimis muneribus recte adimplendis solemnis sponsio est Ecclesiæ præbenda.

2.° Quod Missale habetur tamquam pars non ultima, immo præcipua, materiæ indispensabilis ad rectam novi Episcopi consecrationem, cum super ejus cervicem et scapulas Missale apertum sit imponendum antequam sacro crysmate ungatur.

3.° Quod ipsi clerico Missam inservienti prohibetur Missale aperire et clauderc, ejusque folia in Missa volvere, quia habetur tamquam liber signatus sigillis septem, quem nemo potest aperire nec respicere, nec signacula ejus solvere, nisi Agnus in throno sedens, et qui in ejus nomine, et ex ejus mandato, immaculatam offert in altari Hostiam Deo semper placentissimam. De hoc enim libro dici potest quod proferat de thesauro suo nova et vetera, nam in unum ipse colligit, tum quod Spiritus Sanctus immediato ejus afflatu divinis hagiographis in utroque Testamento dictavit, tum quod Ecclesia, a divino Spiritu semper edocta, ad gratiorem Dei cultum publice præbendum, sapientissime invexit, unde est quod omnes laudent sapientiam ejus, et usque in sæculum non delebitur.

III. Missalis necessitas.

Juxta communem sententiam, Missale requiritur sub gravi, quia memoria fallax est, et sine eo Celebrans exponitur periculo errandi, quod in re tanti momenti diligentissime semper cavendum est. Unde quidam censent numquam licitum esse celebrare sine Missali; alii autem dicunt sacerdotem celebrare posse sine Missali si illud haberi nequeat, sed tantum in casu quo hæc duo interveniant, scilicet 1.° gravis celebrandi necessitas; 2.° experientia jam feliciter facta nullum omnino adesse errandi periculum. Et hoc in casu oportet ut, ad omne populi scandalum prorsus amovendum, habeatur in altari alius liber qui magnitudine et forma Missalis speciem adstantium oculis præseferat. Juxta hanc posteriorem opinionem, quæ in praxi tenenda est, quidam insuper putant licere sacerdoti Missam sine Missali celebrare qui ob visus debilitatem memoriter diei Missam scit et recitat, modo videat quod satis est ad reliquas Missæ actiones peragendas: sed notandum. quod, in dispositione ad hoc edita per Sacrorum Rituum Congregationem, additur, *dummodo orator non sit omnino cæcus et memoriter non recitet.* Ex quibus verbis videtur, dispensatione opus esse si quis ita cæcus sit ut omnem Missæ textum debeat memoriter recitare.

Ad Tertium. Quænam præ oculis sunt habenda ad decorum Missalis usum.

Ad rectum et decorum Missalis usum quatuor præ oculis sunt habenda, scilicet; 1.° quænam sit Missalis editio; 2.° quænam sit Missalis conditio; 3.° utrum in Missali habeantur signacula ad Missam occurrentia; 4.° utrum pro Missali habeatur decens et comodum sustentaculum.

1. De Missalis Editione.

Cum ex Constitutionibus Pii V: *Quo primum* 1570, et Clementis VIII: *Cum Sanctissimum etc*, 7 Julii 1603, prohibitum fuerit, sub pœna excommunicationis, typographis edere, bibliopolis vendere, et sacerdotibus adhibere Missales qui approbatione carerent Ecclesiasticæ Auctoritatis cum Sancta Apostolica Sede communionem habentis, naturaliter consequens est quod, nullum cujuscumque ritus Missale haberi possit aptum ad Missam recte celebrandam, nisi appareat suffultum Ecclesiastica Auctoritate cui spectat omnes liturgicos libros adprobare.

2. De Missalis Conditione.

Præmisso quod ad Missalis decentiam cavendum est ne folia habeat inquinata aut discissa, tenendum est quod a divo Carolo statutum fuit, scilicet quod Missale esse debet opere librario bene firmiterque compactum et conglutinatum, tenuioribus tabellis corio intectis opertum. In quo corio nihil profani elaboratum impressum extet, sed crucis insigne, aliave Sancti pia imago.

3. De Missalis Signaculo.

Missalis signaculum constare convenit funiculis sericis octo, aut decem, longe adductis ut Missalis longitudinem vix quinque unciis (octo centimetris) excedant. Funiculi vero convenit ut colore diverso sint distincti pro officii ratione atque usu.

4. De Missalis Sustentaculo.

Ad Missalis sustentaculum oportet haberi in altari, vel pulvinar, vel anagnosterium, idest, vel cussinum, vel lectorile.

Si cussino utatur, notandum est quod, ipse esse debet, non pluma, neque lana concisa, sed lana solida, pilisque arvinis bene plenum, et longe pateat cubito, (centim. 45) et paulo amplius, lato unciis circiter decem et octo, (centim. 30) Ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis, et opere simplici consuatur.

Cussino vero semper præferendum est ligneum lectorile, utpote firmitate et commoditate omni cussino securius. Dixi *ligneum*, potiusquam metallicum, quia ejus levitas multum interest ad Missale facilius transferendum ab uno ad alterum altaris cornu, præsertim si Missæ inserviens, vel corporis debilitate, vel staturæ exiguitate, quoquo modo laboret.

QUÆSTIONES

IN CONGREGATIONIBUS URBANIS

PROPONENDÆ ANNO DOMINI 1874

MENSE JANUARIO.

I. In Congregatione ad S. Stephanum,
die 15, *feria* 5 (*)

Ex Theologia Dogmatica. — Quotuplex distinguitur cultus religiosus? quisnam dicitur cultus absolutus et relativus, interior et exterior? quinam Deo et creaturis, et quinam soli Deo exhibetur (1)?

(1) V. S. August., *de Trinit.* lib. 1, c. 6, et *contra Faustum,* lib. 20, c. 21 et 45. — S. Thomam, 1. 2. q. 101. — Petavium, *de Incarnat.* lib. 15. c. 2. — Perron., *de Cultu Sanctor,* n. 3.

Ex Theologia Morali. Gabriel ab artifice amico suo horologium emit, statuto quidem pretio, sed sub conditione suspensiva, nempe si ipsum horologium ad dies triginta recte se habeat. Contigit autem ut latro, ante præfinitum probationis tempus, Gabrieli horologium furetur. Quæritur I.° quænam est contrahentium voluntas in contractibus onerosis, et quænam ex eo consectaria profluunt; 2.° quid est æquivalens; 3.° quid venditio, et emptio, et utrum contractus, de quo hic verbum est, dici possit perfectus, nec ne; ac proinde utrum ad aliquod teneatur Gabriel erga amicum venditorem.

Ex Jure Canonico. — Cum in praxi sæpe difficultates occurrant in adplicanda regula: *Accessorium naturam sequi congruit principalis,* quæritur: 1.° Quid dicatur principale, quotupliciter quid accessorium esse possit; 2.° quomodo regula sit intelligenda; 3.° an in omnibus casibus valeat, etiam, ex. gr., cum in principali et accessorio non eadem reperiatur ratio.

II. In Congregatione ad S. Laurentium,
die 22, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Affer argumenta ex sacris litteris, ex vetustissima Ecclesiæ traditione et consuetudine, ex intima natura rei, ex civili ipsorum Novatorum praxi, denique ex ingenua nonnullorum adversariorum confessione, quibus argumentis invictissime probatur, religiosum cultum Sanctorum pium esse, omnique idololatriæ labe immunem (1).

(1) V. Numer. c. 22. — 4. Reg. 4, etc. — lib. 8. Constitut. Apostol. c. 33. — Tertull. *de Corona* c. 3. — S. Cypr. ep. 31. — Leibnitzium in Systh. Teolog.

Ex Theologia Morali. — Felix centum modios frumenti ab Antonio emit sibi ab aliqua massa enumerandos, traditque arrham pro pretio die postera statuendo. Finge vel massam fortuito prorsus incendio periisse; vel Felicem, facta arrhæ jactura, velle a contractu recedere, quia pretium in communi æstimatione valde auctum est. Quæritur: I.° quænam sunt hujusmodi contractus constitutiva; 2.° quotuplex pretium esse potest; 3.° quid ais de utraque proposita hypothesi.

Ex Jure Canonico. — Quomodo hæc regula: *In obscuris minimum est sequendum,* recte componi possit cum alia: *Inspicimus in obscuris, quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

(*) Hora Congregationum est *media* post meridiem, nisi aliter adnotetur.

III. In Congregatione ad S. Mariam Montis Carmeli, *die* 29, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Objiciunt illa ad Coloss. 2. quibus Paulus vetat, ne ulla ratione colantur Angeli; rursus illa Angeli ad Joannem Apocal. c. 19.: *vide ne feceris,* videlicet ne me adores; *conservus tuus suum... Deum adora;* denique Petri exemplum ab adoratione sui prohibentis Centurionem, Actor. c. 10. — Quomodo respondes (1)?

(1) V. Perron. l. cit. n. 27.

Ex Theologia Morali. — Casimirus tabulam, quam bona fide asserit a Raphaele Sanxio depictam Carolo Mediolani vendidit, qui hac opinione ductus eam emit præ quodam Americano advena, qui si eam emisset nil e regione tam dissita objecisset. Accidit autem ut Carolus hujusmodi tabulam non esse prorsus illius eximii artificis, sed alterius valde minoris æstimationis detegisset; hinc vult a contractu recedere, et urget ut Casimirus pretium jam acceptum restituat, qui reponit circumstantiam jam allatam, nempe Carolum tabulam emere toto animo voluisse præ Americano, qui certe nihil repetisset. Quæritur: 1.° quænam regulæ circa vitia mercis, quæ venditur; 2.° quid ais in casu proposito, nempe utrum Carolus jus habeat ad repetendum pretium recedendo a contractu.

Ex Jure Canonico. — Regulam: *Qui tacet, consentire videtur,* nonnulli contra alios hac distinctione intelligendam esse sentiunt: qui tacet in favorabilibus, consentire videtur; qui vero tacet in odiosis, consentire non videtur. Quæritur: 1.° utrum iste, an alius sit genuinus regulæ sensus; 2.° quænam requirantur conditiones, ut regula allegari possit.

MENSE FEBRUARIO.

IV. In Congregatione ad S. Stephanum, *die* 5, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Objicinut rursus, synodum Laodicenam can. 35, districte prohibere, quominus « Christiani, relicta Dei Ecclesia, abeant et Angelos nominent vel congregationes faciant »; Origenem, lib. 5. contra Celsum, et Theodoretum in epistolam ad Coloss. eumdem cultum vetare; Patres vero passim monere, diligendos quidem esse Sanctos atque honorandos, non vero colendos, uti patet ex epistola Ecclesiæ Smyrnensis, ex Hieronymo, in epistolam ad Coloss., ex Augustino epistola 109. alias 53. et contra Vigilantium n. 5. — Quomodo respondes (1)?

(1) V. Perron. l. cit. num. 29.

Ex Theologia Morali. — Camillus habet chirographum alicujus crediti, quod difficiliter repeti potest; atque hinc illud viliori pretio offert Paulo, qui libenter emit, quia ex circumstantiis suis particularibus illius facilius solutionem obtinere potest. Quæritur: 1.° utrum, et quatenus hæc jura vendi possint, cum sint incerta; 2.° quonam hujusmodi jura modo traduntur; 3.° utrum Paulus salva justitia id facere possit.

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Unde ortæ, et quanti sint faciendæ Ecclesiasticæ Processiones?

2.° Et quænam monita a Processionum ritu sunt eruenda?

V. In Congregatione ad S. Laurentium, *die* 12, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Urgent: Ecclesia Romana cum aliquem virum virtutibus præclarum inter Sanctos recenset solemni utitur canonizationis ritu. Atqui canonizatio est quædam apotheosis, qua Ethnici cooptatis inter

Deos hominibus divinos decernebant honores. Ergo. — Responde ostendens quid discriminis intersit inter Ecclesiæ canonizationem et Gentilium apotheosim (1).

(1) V. Lambertinium *de Beatificat. servorum Dei.* — Bellarm., de *Beatificat. et Canonizat. Sant.* lib. 1. c. 19.

Ex Theologia Morali. — Cyrillus, qui est debitor, nonnullis rationum momentis, quæ licet nullius fere valoris sunt, tamen objici possunt, et locum dare tractandæ ante judices causæ, sese per alium inscienti creditori offert ad creditum emendum eo pretio, quod ab aliis oblatum fuit, quodque minus valde est eo, quod ipsemet debet. Potest ne Cyrillus id agere quin lædat justitiam?

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Quænam mysteria recenseri possint in Aqua Benedicta ad usum omnium fidelium?

2.° Et quinam sint præcipui Aquæ Benedictæ fructus?

VI. In Congregatione ad S. Mariam Montis Carmeli, *die* 26, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quæuam est doctrina Catholica circa Sanctorum invocationem? Necessaria ne ad salutem, si spectetur in se? Necessaria ne quibusdam ex Ecclesiæ præcepto? Si minime necessaria omnibus, licita ne saltem omnibus atque perutilis dicenda est? Quod vero licita sit et utilis spectatne ad fidem catholicam (1)?

(1) V. Trid. Conc. sess. 25. — Perron. l. cit. n. 38.

Ex Theologia Morali. — Petrus domum suam vendidit Antonio viginti millibus aureorum cum pacto illius redimendæ. Emptor necessarias reparationes agit, imo nova cubicula ædificat, quæ valorem domus valde augent; attamen domum ipsam hypotheca aggravat, nec non per illam transeundi servitute. Jam vero Petrus suo redemptionis jure uti vult, petitque ab Antonio, ut domum ei cedat; qui quidem non negat, sed omnes repetit exspensas, quas tum necessarias, tum utiles, tum voluptuarias fecit. Reponit Petrus, se utique ad primas solvendas esse paratum; quoad utiles nimias esse, ad justamque rationem velle eas reducere; nil prorsus rependere in animo habere quoad voluptuarias. Quæritur 1.° quotuplici modo rescindi potest venditio; 2.° intra quodnam temporis spatium venditor uti potest redemtionis jure; 3.° utrum Petrus domum suam redimere potuerit, et omnes expensas solvere nolle; 4.° quid ais de hypotheca, et servitute additis.

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Quænam mysteria recondantur in cæremoniis quibus constare debet Solemnis Campanarum Benedictio?

2.° Cuinam competit facultas Campanas solemniter benedicendi?

3.° Et quid dicendum de Parocho qui campanam ex primo ære refectam absque ulla benedictione in Campanili suspendit?

MENSE MAJO.

VII. In Congregatione ad S. Stephanum, *die* 7, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Evince ex sacris litteris, invocationem Sanctorum, tum eorum qui adhuc in via versantur, tum eorum qui in patria jam Deo potiuntur, licitam esse et utilem (1)?

(1) Ad Rom. 5. — ed Eph. 6. et alibi passim.

Ex Theologia Morali. — Philippus plurimas oves, quas nullo morbo affectas bona fide putat, Martino vendidit, qui pacto pretio eas emit, cum aliisque suis commiscet. At nonnullis diebus post emptas oves comperit esse infirmas, morbumque in cæteras irrepsisse. Martinus repetit tum pretium

solutum, tum pro damnis sibi illatis æquam compensationem. Quæritur 1.° utrum id jure; 2.° quid dicendum, si Philippus cognovisset oves morbo esse affectas.

Ex Jure Canonico. — *Is qui tacet, non fatetur; sed nec utique negare videtur.* Regola isthæc convenit ne cum alia: *Qui tacet consentire videtur*, an ab ea differt? Quandonam contra priorem regulam, qui tacet, pro confesso est habendus?

VIII. In Congregatione ad S. Laurentium, *die* 21, *feria* 5.

Es Theologia Dogmatica. — Invocatio et intercessio Sanctorum sunt relativa. Quemadmodum vero invocatio, ita ne admittenda est intercessio (1)?

(1) V. Zachar. c. 1. — Daniel. c. 10. — 2. Machab. 15. — 2.ª Petri, c. 1. — Grotium, *Crit. sacr.* — Perron. l. cit. n. 42.

Ex Theologia Morali. — Venantius, qui est negotiator, nonnulla vini dolia vendit, quod quidem servari diu nequit, sed tamen in præsens a cæteris quoque communiter ad usum quotidianum eodem pretio venditur. Stephanus, qui est emptor, post aliquot menses comperit vinum in doliis ita corruptum esse, ut nullimode eo uti possit, impellitque Venantium ad ejus damna resarcienda, quia, inquit, ille tenebatur occultum hujusmodi vitium aperire. Quid ais?

Ex Jure Canonico. — Sæpe sæpius hæc regula usurpatur: *Ignorantia facti, non juris excusat*: Quæritur: 1.° quinam sit verus hujus regulæ sensus: 2.° quando ignorantia facti non excuset; 3.° quando e contra excuset ignorantia juris.

IX. In Congregatione ad S. Mariam Montis Carmeli, *die* 28, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Objiciunt: nonne, ut ait Apostolus 2. ad Tim. 1., *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus?* Nonne, teste rursus Paulo, ad Rom. 10. ille unus invocandus, in quem unum credendum est, nempe Deus? Equidem psal. 104. legitur: *confitemini Domino et invocate nomen ejus,* videlicet ille invocandus, qui confitendus. Atqui unus Deus confitendus; ergo unum Deum invocare oportet. — Quomodo respondes (1)?

(1) V. Perron. loc. cit. n. 44.

Ex Theologia Morali. Liberius viliori satis pretio emit a Carolo homine rudi et inscio depictam tabulam, vel sciens, vel ignorans prorsus esse valde pretiosam. Tenetur ne Liberius manifestare Carolo, qui nescit, tabulæ valorem? quid si ignorans emat? quid si dubitans, utrum pretiosa esset, nec ne, vel taceret, vel Carolo diceret, se velle tabulam emere sine scrupulo? Quid ad singula respondes?

Ex Jure Canonico. — Regula: *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*, quandonam valet? quandonam fallit?

MENSE JUNIO.

X. In Congregatione ad S. Stephanum, *die* 11, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quomodo hæc duo componis, omnem fiduciam in Deo et ejus Christo collocandam esse, ad Deum confugiendum in nostris necessitatibus et alia hujusmodi, et ex altera parte invocandos Sanctos, immo vero preces etiam viventium expetendas? Christus Ioannis 10. ait:

si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: nonne ergo inutile et injuriosum videtur perfugium ad Sanctos, perinde ac si non sufficiat Deus, vel opitulari nolit (1)?

(1) V. Trid. Conc. sess. 25. — S. Thom. 2. 2. q. 83. a. 4. — Bossuet. de Prof. Confess. Augustanæ par. 2. cap. 3. a. 1. — Perron. l. c. n. 47.

Ex Theologia Morali. — Cælestinus vendit Satyro frumentum communi pretio; attamen ex notitia, quam clanculo habuit, magnam frumenti quantitatem resciit obventuram ab exteris oris. Hac super re emptor venditorem interrogat, qui vel tacet, vel respondet se nescire quidquam, ac proinde illud pretium accipit, quod post paucos dies valde imminuitur. Tenebatur ne Cœlestinus ad aperiendam Satyro notitiam quam secreto, privatimque habuit; atque hinc habendus ne est ut efficax, et culpabilis causa damni? Quid vero si aperte dixisset id verum non esse, de quo in vulgo rumor erat?

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Unde orta consuetudo equos et alia animalia benedicendi die S. Antonii Abbatis.

2.° Quænam formula pro hac benedictione sit adhibenda?

3.° Et utrum pro Benedictionibus de quibus nulla est mentio in Rituali, uti liceat formulis quæ inveniuntur in piis libellulis qui inscribuntur: *Il Sacerdote provveduto,* ecc. aut *Apparatus Benedictionum,* ecc., editus a Bernardo Sannig?

XI. In Congregatione ad S. Laurentium, *die* 18, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Vetustis testimoniis et nascenti Ecclesiæ coævis ostende Sanctorum invocationem licitam et utilem esse (1).

(1) V. Concilia œcum. Constant. 3. — Nicenum 2. — Sacramentaria S. Gelasii et S. Leon. — Missalia Gothica et Francica, etc. — denique confessiones ipsorum Novatorum apud Esslinger nuper conversum ad fidem, *Apolog. della Relig. Catt.* — Perron. loc. cit. num. 53.

Ex Theologia Morali. — Cujusdam mercis major venditorum pars in id conveniunt, ut ejusdem venditio summo pretio ab iisdem constituto tantum fiat. Hujusmodi rem dives quidam vehementer indignans, eamdem mercem quam ipse jam alicubi emerat, nulla lege id prohibente, sub infimo pretio vendit, ita ut grave damnum venditoribus illis afferat. Quæritur 1.° quid, et quotuplex monopolium; 2.° utrum hæc major venditorum pars id agere, salva justitia, potuisset; 3.° quid ais de hujus divitis agendi ratione?

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Quid sit notandum circa Benedictiones Infirmorum cum Reliquiis?

2.° Et quid sentiendum de Benedictionibus quæ a Laicis dari solent, vel rebus, vel personis?

XII. In Congregatione ad S. Mariam Montis Carmeli, *die* 25, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Objiciunt, Sanctorum invocationem saltem ex parte nostra dicendam esse superstitiosam: ii enim invocantur, qui Sancti nunquam fuerunt, vel quorum sanctitas in dubium revocari potest. — Verum, dato et non concesso, quod heterodoxi objiciunt, nega cum S. Thoma, Quodlibeto 9. a. 16. et cum Suaresio, apud Noel t. 9. distint. 5. sect. 8., quod adversarii inde inferre putant.

Ex Theologia Morali. — Angilbertus societatem de negotiis agendis inivit cum aliis, quorum unus pecuniæ summam, nempe capitale, confert; alter mentis operam; ipse autem Angilbertus cum cæteris, corporis tantum vim, scilicet labores. Contigit autem ut media capitalis pars periret; Angilbertus vero, dum iter ageret pro societate, graviores exspensas subire

debuit ad merces ejusdem societatis servandas; quin imo; aggressores toto cursu effugiens, in speluncam se abdidit, ubi et morbo afficitur, et casu thesaurum invenit. Quæritur 1.° cuinam perit media capitalis pars; 2.° quid ais de expensis ab Angilberto actis pro merce servanda; 3.° tenentur ne socii ad damna Angilberti sarcienda pro morbo ab eo contracto; 4.° Habent ne iidem socii jus aliquod ad hujusmodi thesaurum?

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Cur Missæ sacrificium comparatur sacrificiis Abelis, Abrahæ et Melchisedech?

2.° Et cur Abel vocatur *puer*, et Abraham *patriarcha noster?*

MENSE JULIO.

XIII. In Congregatione ad S. Stephanum, *die* 2, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Urgent Novatores, catholicos ita invocare Beatissimam Virginem Mariam ut illi atribuant quæ nonnisi Deo competere possunt. Porro Mariam exorant tanquam gratiarum arbitram his verbis: « mala nostra pelle: — Iesum post hoc exilium nobis ostende... »: rursus ipsam appellant vitam et spem nostram, quin etiam Deam. — Quomodo respondes (1)?

(1) V. Bellarm., *de Beatif. et Canoniz. Sanctorum* lib. 1. c. 20. — Leibnitzium, *in Systh. Teolog.* — Perron. l. cit. n. 80.

Ex Theologia Morali. — Domus, quam Augustinus per novem annos Philippo locavit post biennium vel incendio, vel terræmotu maxima in parte destructa fuit; vel etiam propter irruptionem, quam hostes minitantur, aut morbi, qui dicitur cholera, invasionem, a conductore deseritur ullam unquam pensionem hisce de causis solvere nolente. Quæritur 1.° quid locatio, et quænam ejusdem materia; 2.° jure ne Philippus denegat his rationum momentis innixus solvere pensionem?

Ex Jure Canonico. — Clericus quidam comprobavit Beneficio ecclesiastico, in quo canonice fuerat institutus, curam animarum non inesse, eo ductus ut aliquibus juribus in comunitate civili frueretur; quo obtento, paulo post, ne aliquibus privilegiis in comunitate ecclesiastica destitueretur, contrarium comprobare conatus est, videlicet eidem Beneficio inesse curæ animarum onus. Jam modo quæritur: 1.° quinam sit sensus hujus regulæ: *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare?* 2.° utrum ea regula jure potuerit contra prædictum clericum allegari.

XIV. In Congregatione ad S. Laurentium, *die* 9, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quid intelligendum est primario sub Reliquiarum nomine, quid secundario? Utrum Reliquiarum cultus habendus sit absolutus, an relativus? Utrum denique de fide sit, Sanctorum Reliquias et monumenta utiliter et pie a Fidelibus honorari (1)?

(1) V. Conc. Trid. sess. 25. — Perron. l. c. n. 82.

Ex Theologia Morali. — Quirini agrum statuto pretio conduxit Virgilius; jam modo locator deprecatur, et fere impellit Virgilium, ut omnes fructus per assecurationem a grandine tueatur. Renuit conductor, et tunc Quirinus marte suo contractum assecurationis cum societate inivit, quæ, omnibus fructibus grandine revera sublatis, damna Quirino sarcivit. Virgilius nihil de agro colligens, nihil quoque vult solvere Quirino, qui reponit eum debuisse utile consilium accipere, quo rejecto, sibi damna imputet, et solvat. Recte ne Quirinus ita ratiocinatur, ut eidem jus faveat?

Ex Jure Canonico. — Ad verum sensum dignoscendum frequentissime occurrentis regulæ: *Odia restringi et favores convenit ampliari*, quæritur: 1.° quænam materia, lex vel dispositio sit et dicatur favorabilis, et quæ odiosa: 2.° quandonam hæc regula fallat.

XV. In Congregatione ad S. Mariam Montis Carmeli, *die* 16, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Affer ex novo præsertim Testamento atque ex historia Ecclesiastica multiplicis generis argumenta, quibus luculentissime probatur, Sanctorum Reliquias utiliter et pie a Fidelibus honorari cæpisse ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, et subsequentibus continuo sæculis excultas fuisse (1).

(1) V. Matth. c. 9. — Actor. c. 6. et. 19. — Euseb. *Hist. Eccles.* lib. 4. c. 15. — Ruinart., *Acta martyrum.* — Archeol. Eccles. passim.

Ex Theologia Morali. — Camillus homicidium esse commissurum Marcum asserit, qui toto animo id negat; urget ille proposita sponsione; hic autem acceptat duobus aliis sponsionibus initis, nempe se asserere Victorinum esse intra annum moriturum, seque nonnulla saxa deglutire, vel manus ictu disrumpere. Quæritur 1.° quid sponsio; 2.° utrum licitæ sint omnes hujusmodi sponsiones, cum earum objectum sit vel peccatum patrandum, vel damnum sive alterius, sive uniusmet spondentis.

Ex Jure Canonico. — Regulæ: *Semel malus semper præsumitur esse malus*, objici potest illud juris trium: Quilibet habendus est bonus, donec probetur malus. Quæritur proinde: 1.° de quanam præsumptione regula sit intelligenda; 2.° quotuplex sit præsumptio: 3.° utrum regula in omnibus casibus procedat.

MENSE AUGUSTO.

XVI. In Congregatione ad S. Stephanum, *die* 6, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Quodnam appellatur præscriptionis argumentum, et quomodo potest ita urgeri pro Sanctorum cultu, invocatione et reliquiis ut nullus amplius supersit Heterodoxis objiciendi vel detrectandi locus (1).

(1) V. Perron. *de Cultu Sanct.* ad singulas par.

Ex Theologia Morali. — Felicitas ad omnia domestica munia obeunda famulam quamdam statuto pretio ad sex menses conduxit. Hæc tamen famula nonnullas prætexens causas ante tempus discedit. salariumque repetit pro tempore, quo officia sua obivit; vel cum infirmetur, domi apud dominam manere vult, quam urget ad sibi expensas solvendas pro valetudine recuperanda. Hæc omnia rejicit Felicitas; jure ne?

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Quid sibi velint verba *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum?*

2.° Nec non *Memento Domine famulorum famularumque tuarum?* Cum neminem lateat Deum nihil ignorare, nec eum alicujus oblivisci?

XVII. In Congregatione ad S. Laurentium, *die* 13, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Objiciunt, Deum sustulisse ex oculis Hebræorum Moysis corpus, ne coleretur; Christum vero phariseos damnasse, quatenus *ædificarent prophetarum sepulcra et monumenta justorum ornarent,* Matth. 28. — Verum expone, in quonam sensu sint accipienda quæ opponuntur, et apprime distingue inter dogma et disciplinam (1).

(1) V. 4. Reg. 2. et 13. — S. Ioan. Chrysost. homilia 74. in Matth. — Perron. l. cit. n. 92.

Ex Theologia Morali. — Arnulphus Friderico cœmentariorum magistro operam locavit alicujus domus tum ædificandæ, tum omnibus ils rebus instruendæ, quæ ad eam incolendam requiruntur, sub conditione gravioris

mulctæ solvendæ, nisi intra præfinitum tempus fabrica perfecta fuerit. Fridericus autem nonnullos pro ornamentis, cæterisque hujusmodi adhibuit fabros, quos antea dominus proposuerat. Jam modo, tum pro laterum defectu; tum pro fabrorum ab opere inter se condicta remissione; tum pro inopinata in injiciendis fundamentis difficultate; tum denique pro nonnullorum ex fabris imperitia, hæc domus nec intra tempus statutum absoluta fuit, nec eo decorata ornatu quem dominus intendit, qui proinde damnum grave pati debet. Fridericus ne mulctam solvat, vel damna rependat, ea objicit, quæ sibi prorsus contra mentem obtigerunt, nec non bonam fidem circa fabros ipsimet domino probatos. Instat Arnulphus, ut indemnis ipse fiat contractus pacta appellans. Quinam ratio ex justitia favet?

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Unde habet nomen *Canon* ad significandam essentialissimam Missæ partem?

2.° Unde incipit et quo desinit Missæ *Canon?*

3.° Et quare Canonis verba legenda sunt secreto?

XVIII. In Congregatione ad S. Mariam Montis Carmeli, *die* 20, *feria* 5.

Ex Theologia Dogmatica. — Objiciunt: superstitiosum est, mortuorum ossa et cineres venerari, nullam enim habent in se dignitatem vel excellentiam, esto quod omnes quæ circumferuntur honorandæ, veræ et genuinæ sanctorum reliquiæ habeantur. Etenim permultæ sunt suppositiliæ. Ceterum in earum cultum nimii irrepsere abusus ita ut merito sint sustollendæ reliquiæ ut sustollantur abusus. — Responde singulis (1).

(1) V. Perron. loc. cit. num. 102.

Ex Theologia Morali. — Philippus, qui est pater familias sæpe ludit præsertim propter lucrum cum sociis, quos inter adest Cajus, qui est filius familias, quique cum possit de suo quinque aureos perdere, viginti e contra vicit, eosque postea omnes novo ludo perdidit. Quæritur 1.° quænam conditiones ad lndum licitum; 2.° utrum Philippo sub duplici respectu tum personæ, quatenus est pater familias, tum intentionis, ludere liceat 3.° utrum eidem id licuerit cum filiofamilias pro quinque aureis, et deinde pro viginti.

Ex Sacra Liturgia. — 1.° Quid sentiendum de Ambrosiana consuetudine Sanctorum Litanias abbreviandi in divinis Officiis, easque immutandi circa Sanctorum nomina ad usum propriæ tantum parochialis Ecclesiæ?

2.° Et quid de Litaniis Lauretanis ita decantatis ut tertia quoque invocatione tantum respondeatur *Ora pro nobis?*

☞ Congregatio generalis Cleri Urbani in Sacello Archiep. erit die 10 (Fer. 5) Decembris hora 12 1/2, si ita placuerit Excell. et Rev. D D. Archiep.